



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.





ISAACI SCHOOCKII  
Philos. Pract. Prof. Publ. Ordin.

I D E A  
P O L I T I C Æ,  
*SIVE*  
C O M P E N D I O S A   I N -  
S T I T U T I O .

Adjectum est  
*A P P E N D I C I S   L O C O*  
**S P E C U L U M   P O L I T I C U M,**  
In quo exhibentur  
**N O B I L I S S I M Æ   E T   S E L E C T I S S I M Æ**  
Quæstiones breviter tractatæ.

*Socrat. apud Xenoph. & Plut. in  
Cat. Maj.*

Generosum & omni favore dignum est  
ingenium, cui cordi sunt Disciplinæ  
Politicae. Virtute enim Politicâ præ-  
stantiore nullam homo assequi-  
tur.

FF  
*Francofurti ad Oderam.*

L iteris ANDREÆ BECMANNÆ,  
ANNO MDCLXXII.

KÖN. PR. FR.  
UNIVERS.  
ZV HALLE





## PRÆFATIO AD LECTOREM.

DIDI nuperrimè  
in lucem, Lector  
Benebole, Ideam  
Philosophiæ Mo-  
ralis. Illum laborem meum  
confido Tibi fuisse gratum  
& utilem. Jam verò accipe  
à me alteram partem Philo-  
sophiæ practicæ, quæ voca-  
tur *Civilis Prudentia*, semper  
que inter homines præclara  
& laudabilis est habita. Hæc  
enim rivulus est sapientiæ &  
prudentiæ divinæ, qua tota

A 2 hæc

P R E F A T I O .

hæc mundi universitas , à  
DEO rerum omnium op-  
fice gubernatur. Hæc dux  
& moderatrix est vitæ civi-  
lis, omniumque actionum,  
quæ ad eam rectè ineundam  
& peragendam requiruntur.  
Sine hac nulla Respublica,  
nulla societas hominum be-  
nè constitui & conservari  
potest. Illa enim homines  
à fera agrestique vita primi-  
tùs abduxit, & in unum lo-  
cum congregavit. Ac , ut  
honestam , justam & tran-  
quillam inter se vitam age-  
rent, leges civiles condidit:  
magi-

P R A E F A T I O .

magistratus ordinavit : Ju-  
dicia instituit : ut his tan-  
quam frenis in gyrum rectæ  
rationis ducerentur, & disci-  
plinæ jugo subjicerentur,  
Proinde non immeritò à  
præstantissimo Philosopho,  
*Civilis Prudentia* inter scientias  
& facultates humanas , quæ  
in agendo versantur , maxi-  
mè architectonica , omniumq;  
augustissima , nuncupatur. Il-  
la siquidem puppi civitatis  
præsidet : gubernaculum  
Reipublicæ tenet : totumq;  
Politicæ administrationis  
cursum eò dirigit , ut cives  
à naufragio tuti , optatum

. A ;

felici-

P R E F A T I O .

felicitatis civilis portum af-  
sequantur, in eoq; salvi & in-  
columes diu ac tranquillè  
persistant. Sed ne nimis ope-  
rosè præfari videar, hîc desi-  
nam. Deum rogo, ut Valeas,  
atq; Faveas. Is Ipse si è Cœlo  
annuerit, propediem meum  
**Collegium Politicum**, quod  
jam sub prelo est, & Centu-  
riam meam Primam ac Se-  
cundam rariorum Proble-  
matum **Historicorum** &  
**Physicorum**, habebis.

Συν

VI. dum Musarum nomen, laudemq;<sub>s</sub>

Vixq; queunt Docti ferre brabéa Viri,  
merentur,

Queis tumor insolitus typho consurgit  
inani,

Deprimit ast fædus mollia corda ti-  
mor.

Namq; referre domum meriti qui plena  
triumfi

Concive in cætu carbasa ovante cupit:  
Haud modò bella manu primâ tentabit,  
Et inde

Depositis armis agmina linquet iners;  
Sed plus ulirà hostem mactabit, sangu-  
ne gaudens,

Militiae quando cornua rauca sonant.  
Dimidiatq; enim nullū fert sudor honore,

Et laudem nullam dimidium studii.  
Hinc merito, SCHOOCKI, Fama Tibi  
docta Minerva

Prae multis reliquis summa theatra  
parat.

Ulpote Qui plenâ curâ Te collis aperte

Per Populos celebris vectus ad Astra  
Poli.

Nec Somnus studium, fomenta g̃s mille  
laborum

Occupat, aut nullum, quod facit, u-  
get opus;

Sed conando ruis per quavis ardua sol-  
lers,

Rellinquent multos post tua terga pi-  
gros.

Hacce Professoris prostant documenta,  
fidelis,

Qui bene de studiis promeruisse cupie-  
Annai Seneca, Taciti monumenta, re-  
purgat

Quae nobis Justus Lipsius, arte teris.  
Id quod restantur tua Scribta Politica  
abundē,

Sceptrigero Heroi quets studium  
omne probas.

Paucis hisce

Excellentissimo Dn. Autori,  
Scribta Politica publicè e-  
denti, accinere voluit

J. Christophorus Neander.

Σὺν

ΣΥΝΘΕΩΝ ΚΑΙ ΧΕΙΤΩΝ. Pag. I

# I D E A P O L I T I C Æ.

C A P U T   I .

D E  
P O L I T I C A   I N   G E-  
N E R E.

§. I

P O L I T I C A & Civilis Doctri-  
na sunt Synonyma , quatenus  
illa Græcè , hæc Latinè unam  
candemque rem insinuant , Πολιτική  
enim dicitur ἀπὸ τῆς πολιτείας , hæc  
que ἀπὸ τῆς πόλεως quæ proin voca-  
bula distinguenda. Πόλις , quæ modò  
Civitas , modò Urbs , modò Oppidū ,  
modò Respublica transfertur , sic di-  
cta fuit , vel quia homines consociati  
in eâ πολιτείᾳ , id est , versantur , vel à

A 4

πολὺς

## IDEA POLITICÆ.

πολὺς, quia sunt πόλοι certis legibus juncti. Πόλοι hi constituunt πολιτείαν, sive cœtum quem & ordinem hominum certis legibus socialium, unde in *Abstracto* πολιτεία notat statum, ordinem, formam & administrationem Civitatis, in *Concreto* ipsum cœtum hominum certo jure consociatorum. A πολιτεία dicitur ἡ πολιτικὴ scil. διδασκαλία, quæ ut generatim omnem Philosophiam Moralem designat t. Eth. 3. sic speciatim Ethicæ & Oeconomicæ contra distinguitur, hancque Philos. Pract. partem notat, quæ de Civitate, Republ. & Imperiis docet: unde appellatione πόλεως & πολιτείας non tantum Civitates, urbes, metropoles, sed & integræ Provinciæ, Regna & Imperia veniunt. quo facit observatio Casaub. ex Strab. l. 8. Geogr. quod πόλις olim etiam pro χώρᾳ, sive regione fuerit dicta. Hinc patet τῆς πολι-

CAPUT I.

3

πολιτικῆς vocem à Latinis non malè per Philosophiam Civilem , vel Doctrinam de Repub. vel Rationem bene administrandæ Reip. vel Statum. Reip. optimum, vel Institutionē Reip. similesque appellationes explicari.

II. Rectè Lipsius Synonymicè Politicam & Civilem Doctrinam copulat. Omnia enim dicta epitheta nihil aliud indigent, quam Doctrinam Civilem. Hinc & Apuleius Politicam vocavit *Civilitatem*, & Seneca Civilem Philos. partem. Confer. Not. Lips. ad tit. Polit. & Dan. lib. 1. Pol. Christ. cap. 1. 2. Keck Præcog. Polit. Heid. Proæm. Polit.

III. *Political Lipsiana*, licet veterum tantum monitis & verbis constet, rectè tamen Lipsio adscribitur. Consil. & for. oper. & Not. ad cap. 1.

IV. Politici dicuntur, 1. Omnes, qui personis Ecclesiasticis contra distinguuntur, 2. Qui comiter, amicè

A 5

& de-

4 IDEA POLITICÆ.

& decorè cum hominibus conversari norunt. 3. Qui optimè simulare ac dissimulare possunt, quales sunt fraudibus & versipelli astutiæ instructi, graphicèque alios possunt, circumvenire, mendacia ludere, calumniari & mordere clanculum. 4. Qui cognitionem habent præceptorum politicorum. 5. Qui doctrinam politicam conscribunt. 6. Qui modum rectè instituendi vitam civilem ac gubernandi Rempubl. callent, prudenterque in eâ vivunt, ac insimul ad salutem publicam cuncta dirigunt. Hi postremi propriè ; reliqui vel latè, vel certo tantùm modo Politici nomen merentur, nisi quòd tertii generis homines καταχειστικῶς sic dicantur.

V. Doctrina de Principatu, prout à Lipsio traditur, non immerito nomen Politices sibi vendicat. *Not. ad tit. Mon. & Exempl. Pol. lib. 2, cap. 1.*

VI. Pg-

CAPUT I.

5

VI. *Politica* est præceptum, sive doctrina de vitæ civilis itinere incundo rectèque peragendo, *Pol. Lips. cap. 1.* sive, ut communiter definitur, est prudentia bene constituendi administrandi Rempublicam.

VII. Errant igitur, qui perhibent.  
1. Politicam definiri non posse. 2. Nec certis præceptis comprehendendi, ut scientiam eam vagam faciant, contra quos multi Politici disputant.

VIII. Doctrinam politicam Christianis licet eruere 1. Ex S. Scriptura. 2. Jurisprudentia. 3. Ethnico-rum scriptis & monumentis.

IX. Divisio proinde Politices in Christianam & Protanam non omnino improbanda, licet propriè divisio non sit generis in suas species, sed partim effecti in suas causas, partim subjecti recipientis in sua adjuncta.

X. Politica Theologo viam sternit ad cognoscendam Politicam.

A 6

Mo-

Mosis & Davidis: JCto prodest ad consulendum & respondendum de omni negotio: Oratori ad copiam rerum & verborum: Historico, ad reducendum exempla, unum quodque ad suam regulam: denique Ducibello ad recte instituendam politicam militarem.

XI. Differentia autem Politicæ & Jurisprudentiæ præcipua in eo videatur esse, quod idem illud, quod Politicus in genere docet per exempla & rationes, hoc JCtus specialiter & particulariter per circumstantias personarum, rerum, locorum, temporis, perque distinctas partes & processus actionum ac judiciorum secundum leges, deducat.

XII. *Finis Politicæ* est tradere modum recte instituendi vitam civilem; aut, communiter, administrandi Rempublicam.

XIII. Finis hic publicam honestatem

CAPUT I.

7

tem, religionem, pacem, honorem & gloriā, opes & splendorem non excludit, sed includit, quæ omnia Beatitudinis civilis nomine vulgo veniunt.

XIV. *Objectum Politices* est vita civilis, sive vitæ civilis iter: communiter, Respublica, Civitas. 3. Pol. i.

XV. *Vitæ civilis* est, quam in hominum societate mixti degimus, ad mutua commoda sive usum.

XVI. Hæc longè præferenda vitæ Solitariæ & Eremiticæ; quæ si affectata sit & perpetua, in Politicis benè constitutis non est ferenda.

XVII. Vitæ civilis, sive Societatum humanarum *causa efficiens* non est fortuna, conspectus ignis, ars culinaria, Musica, Eloquentia, Religio.

XVIII. Verùm primaria *causa* est DEUS, Dan. 2. v. 21. Rom. 13. v. 1. *Secundaria* 1. Innatus homini societatis amor, ex quo animal sociale natura

8 IDEA POLITICÆ.

tura audit, lib. 1. Pol. cap. 2. 2. Indi-  
gentia. 3. Inuria. Dan. Pol. lib. 1. c. 3.

XIX. Rectores vite civitatis sunt 1.  
Virtus. 2 Prudentia; cuius utrius-  
que necessitatem in Politicis agnove-  
runt ante Lipsium magnus ille Magi-  
ster Aristoteles, Plato omnesque sa-  
niiores Politici. Vid. Cas. Sph. Civit.  
*Proleg.*

XX. Virtutis necessitas tanta est, ut  
civis verè bonus nullus sit, nisi & vir;  
Nullaque sit efficax & vera Politia  
sine virtute. Impium ergo & impu-  
dens est Machiavellistarum dogma,  
quo asserunt, Rempubl. recte posse  
sine virtute administrari.

XXI. Hallucinantur autem, qui  
virtutem boni Principis & boni viri  
eandem, boni viri ac boni civis di-  
versam esse perhibent. 3. Pol. 3.

CAP.

CAPUT II.

DE

Virtute primo vitæ Civilis  
Rectorē.

§. I.

*Partes virtutis, Politico Christiano  
necessariae, sunt, Pietas & Probi-  
tas. Just. Lips. Pol. lib. 1. cap. 1.*

II. *Pietas est rectus de Deo sen-  
sus, rectus in Deum cultus.*

III. *Deum intelligo Tri-unum,,  
Patrem, Filium & Spiritum S. i. Joh.  
5. 7. 20. Joh. 17. 3. Act. 5. 3. 4.*

IV. *Pietatis proin doctrina , etsi  
quoad scintillas quasdam ex profa-  
nis gentilium scriptis perspici possit  
à Politico, plenariè tamen & saluta-  
riter ex solis Sacris Litteris ei est di-  
scenda & haurienda. Joh. 1. 18.*

V. *Sensus Pietatis est summi Nu-  
minis*

Io IDEA POLITICÆ.

minis recta cognitio. Verè de sensu,  
sive cognitione Dei inquit Silius,

----- *Prima scelerum causa mortali-  
bus agris*

*Naturam nescire Deūm. (nos Dei)*

VI. Cognitio hæc ponit Dei 1. Es-  
sentiam, quod sit spiritus, unus, æ-  
ternus, immutabilis, omnipotens,  
justus, ubique præsens &c. 2. Ope-  
ra creationis, providentiæ, redem-  
tionis, Rom. 1. 19 & seq. Joh. 3. 16.

VII. *Cultus* est cogniti Numinis  
veneratio, certis legibus ceremoniis-  
que devincta. *Lips. Pol. lib. 1. cap. 3.*

VIII. *Cultus* internus est, qui in a-  
nimo & ex animo, Deo vero preces  
concipit, laudes, grates. Estque lon-  
ge nobilior & pretiosior *externo*:  
Cum Deus affectum animi internum  
potius, quam actiones externas cor-  
poris respiciat. Idcirco rectè ait Se-  
neca; *Optimum animum pulcherri-  
mum Dei cultum esse.*

IX. Pre-

## CAPUT II.

IX. Preces igitur ad stellam Veneris, Jovem, Deosque tutelares, profanæ sunt & idolatriæ.

X. Periculosa quoque est locutio, Religio, qualiscunque ea hausta, publicè & privatim habenda.

XI. Athei autem, non Politici, vox est: Satis est, Principem externa specie pium & religiosum, videri, etiamsi ex animo non sit. Pietatem autem Principis non simulatam, sed seriam & internam esse debere, docet 1. S. Pagina, quæ pietatem Principis depingens, seriam eam & internam, non fictam aut fucatam proponit, Deut. 17. 18. Jos. 1. 7. 8. 2. Simulationis hujus fœditas.

XII. Errarunt olim hodieque errant, quotquot in populo Superstitionem utilem ac Principi permittendam clamitant. 1. Quia superstitione in bona Rep. vitiorum omnium caput est & fons uberrimus. 2. Quia in

in specie animos humanos non mitigat, sed viles facit & abjectos. Nam

----- *Faciunt animos humiles formidine divum,*

*Depressosque premunt ad terram.*

XIII. *Cultus externus* est, qui preces, laudes, grates per ritus & gestus externos expromit.

XIV. In his patrius mos (*excipe impium & profanum*) non contumaciter repudiandus.

XV. Ex sensu Dei cognoscitur *Providentia Dei*, quam gentiles *Fatum* dixerunt. *Lipf. Pol. lib. 1. cap. 4.*

XVI. *Fatum & Providentia Divina* non sunt Synonyma, quin ipsum fati vocabulum ex Christianorum mente & ore debet exulare.

XVII. *Providentiae Dei omnia* subsunt, parva & magna, necessaria & contingentia, voluntas humana, lapsus & peccatum, &c.

XVIII. *Obscuræ sunt phrases & quæ*

## CAPUT II.

13

quæ vix commodam admittunt interpretationem; Ipsi homines (fato subjecti sunt) in parte. Voluntas enim à eximia. Voluntas à Fato immunis. Deus non impellit ad peccatum, sed ad lapsum, & sim. *in text. & Not. ad cap. 4.*

XIX. Ex cultu Dei *Conscientia* profluit, quæ reliqua est in homine rectæ rationis scintilla, bonorum malorumque facinorum judex & index, eoque nomine cùm omnibus, tum Politicis in primis curanda. Quemadmodum enim laurus non timet fulmen: ita bona conscientia nulla culpa pallescit. Camer. *in Eml. Instincta virtus:*

*Sic illæsa malis constat pulcherrima  
virtus,*

*Laurus ut est diris integra fulmi-  
nibus.*

XX. *Probitas* est recta in moribus & actione omni vita, ex honesti norma. *Lipf. Pol. lib. 1. cap. 6.*

CAP.

## CAPUT III.

DE

Prudentia altero vitæ Civi-  
lis Rectore.

§. I.

Prudentiæ in vitâ civili necessitas  
tanta est ut sine illâ nulla possit  
esse virtus, nulla politia. Non tan-  
tum prudentia est dux & rector vitæ  
civilis, sed etiam ipsius virtutis. Ac  
ut Architectis nullum opus rectè  
procedit sine libella & linea : Ita ne-  
que Politico sine norma hac directri-  
ce, quam meritissimò Cicero artem  
vitæ, & Aristoteles mentis oculum  
appellavit.

II. *Prudentia* est intellectus &  
delectus rerum, quæ publicè priva-  
timque fugiendæ aut appetendæ;  
sive, est rerum secundum legem a-  
gen-

## CAPUT III.

15

genderum usu & memoriâ acquisitus  
intellectus, delectus & exacta ad cir-  
cumstantias accommodatio. *Jonst,*  
*Etb. lib. 2. §. 2.*

III. Prudentia est 1. *Domeftica*,  
quæ sibi 2. *Civilis*, quæ aliis prodest.  
Multi fuerunt felicissimi in Politica,  
qui infelicissimi fuere in Oeconomi-  
ca, & è contrà: Augustus nempe Im-  
perator felicissimus fuit in Republi-  
ca administranda, sed infelicissimus  
in familia regenda.

IV. Utraque Principi ac Politico  
summopere est necessaria, sicut u-  
triusque opposita, calliditas seu ver-  
sutia & simplicitas seu nimia oscitan-  
tia, oppidò sunt noxia.

V. In Principe tamen, quâ Prin-  
cipe, calliditas simplicitate est tole-  
rabilior, veluti malum 1. corrigibili-  
lius 2. majestati regali minus opposi-  
tum 3. eversioni Reip. minus accom-  
modatum.

VI. Sto-

16 IDEA POLITICA.

VI. Stolidi autem, non sapientis est vox, Principes eorumque Consiliarios prudentes: Cives imprudentes & simplices esse oportet, *Pol. Adami Contz. lib. 3. cap. 3.*

VII. Prudentia parentes ac media, quibus Princeps & politicus eam sibi acquirunt, sunt 1. natura. 2. usus 3. doctrina, *Pol. Lips. lib. 1. cap. 8. Mon. & Ex. ad cap. 8.*

VIII. Ad Naturam refero 1. σύνεσιν. 2. δεινότητα. 3. μνήμην : Perspicacitatem, Solertiam & Memoriam seu Recordationem naturalem.

IX. Usus est notitia humanarum rerum ex visu vel tractatu.

X. Usus etsi in juvenes raro cadat, efficacissimus tamen est prudenter magister. Quisquis enim *testes* *Philos.* 10. *Eth.* ult. in re civili intelligens haberi vult, opus ei experientia. Unde Tiberius, se in partem cura-

CAPUT III. 17

curarum ab Augusto vocatum , ex-  
periendo didicisse, restatur Tac. Ann.  
l.i. c.11.

XI. *Peregrinatio ad usum plurimi-  
num facit , sicque Politico in primis  
est necessaria ad comparandam pru-  
dentiam civilem. Quod suo nos  
docet exemplo Ulysses : Cassiod. 3.*

*Var. Nam,*

*Qui sapit, ille animum peregrino obdu-  
rat in orbe,*

*coralium extra undas sic abit in  
lapidem.*

*Cam. in Embl. Ut enim coralium,*

*— quo primum contigit auras*

*Tempore , durescit : mollis fuit her-  
ba sub undis. Ovid. 13. Metam.*

Non tantum ex Ethnicis , quicunque  
olim docti & magni fuerunt , pere-  
grinationibus operam dederunt v. g.  
Pythagoras , Plato , Aristoteles , Ly-  
curgus , Solon , Alexander Magnus ,  
Julius Cæsar , Cicero & id genus alii:

*Icd*

sed etiam Patriarchæ, Prophetæ & Apostoli,

XII, Principi tamē maximē commendandæ peregrinationes, quæ in obeundis propriæ ditionis Provinciis suscipiuntur. Chok. aph. Pol. lib. 2, cap. 21.

XIII, *Doctrina Politico summē necessaria.* 1. Quia multum momenti affert tum ad prudentiam, tum ad virtutem. Unde etiam à Lipsio lib. 1. Politicæ cap. 10. *utriusque adjutor nuncupatur.* Et Seneca epist. 91. asserit non plenè satis contingere prudentiam nisi animo instituto. & edocto. 2. Quia nemo potest feliciter imperare, qui naturam regionis ac gentis, cui imperat, non probè perspectam habet. Hanc autem notitiam sine doctrina sibi comparare bene non potest. Idcirco Xenophon lib. 1. de instit. Cyri rectè ait: *Omní animali facilius imperabis quam homini:* ideoque sapien-

## CAPUT III.

19

sapientissimum eum esse oportet, qui hominem regere velit. Et Chrysostomus ait; Imperii artem esse maximam, quae sine doctrina exerceri non possit.

XIV. Doctrina complectitur 1. notitiam Historiarum, quam Lipsius Memoriam vocat. 2. scientias Philosophicas.

XV. Historia non vitam solum instruit privatam, quatenus fas in illa tanquam in speculo ornare & compонere vitam tuam ad alienas virtutes. Plut. in Timol. Sed in primis publicam, cum verissima sit disciplina exercitatio, ad res civiles Historia. Liv. I. I. & utiles sint ad publicas deliberationes rerum gestarum historia. I. Rhet. §. Lips. lib. I. cap. 9.

XVI. Historiae bonitas ex tribus dignoscenda Notis 1. veritate, 2. explanatione. 3. Judicio.

XVII. Optimis Historicis, post Sacros & Ecclesiasticos, annumeran-

B

di

di inter Græcos , Thucides, Polybius, Plutarchus, Xenophon &c. inter Latinos , Tacitus, Salustius , Livius , Curtius , J. Cæsar, Phil. Cominæus, P. Jovius , P. Æmilius , Fr. Guicciardinus &c. Vid. Lipsii Not. ad cap. 9. & Keck. de Nat. & propr. hist. cap. 3. Quibus adjungendi Historici Angli- ci, Gallici , Italici , Hispanici &c. qui maternâ Linguâ scripsérunt.

XVIII. *Philosophia Principi di- scenda.* 1. ad usum, non ad ostentati- onem. 2. cum modo. Nam plus scire velle quam satis est, intemperantia genus est, teste Seneca. Et ut Æschy- lus ait: ὁ ξεῖνοι μὲν εἰδὼς γὰρ ὁ πόλλος εἰδὼς συφός. Qui fructuosa non qui multa scit, sapit. 3. quatenus facit ad ejus 1. splendorem , ut Eloquen- tia & linguarum scientia , maximè Latinæ . 2. prudentiam , ut Politica, cui inserviunt, modicè hausta, Phy- sica , Geographica , Astronomica , Geo-

Geometria, Architectonica. 3. virtutem, ut Ethica & Theologica.

XIX. Cavendæ Principi Astrologorum, Magorum, &c. artes. Menoch. Hieropol. lib. 2. cap. 32.

XX. Minutæ quoque ac leviculæ artes, cælare, pingere, canere, saltare &c. vix ac non nisi summâ cautelâ ei indulgendæ.

XXI. Ab historiis autem fabulosis e. g. Amadæo planè est arcendus. Fabulæ turpes & inutiles partim sunt duces ad turpitudinem & mendacium: partim etiam vanis rerum indolis & figmentis mentes hominum deludunt. Proinde Plato lib. 2. de Repub. Reciè asserit detestandos & exsibilandos esse eos, qui pueris narrant fabulas de Deorum furtis, adulteriis, bellis, discordiis, invidiis, inimicitiis, deceptionibus, mendaciis & id genus aliis factis, exquisibus colligi posset Deum esse auctorem peccati.

**XXII.** Præceptores Principis non theoreticè solum sed & practicè doctos esse oportet In Rempublicam à solis & nudis speculatoribus nihil emblemamenti redundare potest, & neque politiam constituere, neque sauciatam ad integritatem & sanitatem reducere queunt.

## C A P U T IV.

### D E

## Imperio seu societate Imperii in genere.

### S. I.

**S**Ocietas, in quâ vitam degimus cives, non commercii est, sed imperii. *Pol. lips. lib. 2. cap. 1.*

**II.** *Imperium est certus (Prudentia & virtutis) ordo in jubendo & patendo.*

**III.** *Ordo igitur piratarum & latronum*

tronum non est ordo imperii , sed  
inordinata & indisposita hominum  
congeries , ubi cuilibet licet quodli-  
bet. Bodin . de Rep.lib. 1 . cap . 1 .

IV. Qui verò in Oeconomicis  
obtinet ordo in jubendo & parendo  
imperium analogicè dicitur .

V. Ordinis imperii sicut tanta-  
est necessitas , ut fulcrum meritò au-  
diat rerum humanarum : sic utilitas tā  
est eximia , ut vinculum sit & spiritus  
vitalis Rerum publ. Probos tuetur &  
defendit : improbos verò coercet &  
punit : & propterea à Lipsio compara-  
tur , cum virga Circæa , qua captæ feræ ,  
hominesque mitescere fingeantur .  
Sine imperio nec domus ulla nec ho-  
minum ipsum genus , nec rerum na-  
tura omnis , nec ipse mundus stare  
potest .

VI. Communitas rerum , uxorū  
& liberorum Platonica ordini huic  
repugnat , quæ proin nullo modo in

## 24 IDEA POLITICA.

Rep. tolerari debet. In Rempubli-  
cam inducit unitatem non tantum  
pernitiosam; sed etiam ejus naturæ &  
fini repugnantem. Siquidē illa con-  
stat ex partibus specie & ordine inter-  
se differentibus. Ideoq; fieri non po-  
test, ut ad simplicem unitatem redi-  
gatur per quam omnis inter cives dis-  
similitudo excludatur: non secus ac  
concentus bonus consistere non po-  
test si vocum artificiosè inter se con-  
fusarum diversitas ac dissimilitudo,  
quæ harmoniæ suavitatem efficit, ad  
unum & eundem sonum revocetur.

VII. Anarchia verò primaria or-  
dinis eiusdem causa est corrumpens,  
quæ omni tyrannide, omnique cor-  
rupto Reipubl. statu est deterior:  
quippè, quæ effrenatam licentiam  
morum vitæq; dissolutionem, sce-  
lerum impunitatem, horrendam re-  
rum omnium confusionem, denique  
calamitatum tam publicarum, quam  
priva-

privatarum Iliadem, & Lernam malorum in Remp. introducit ; Et hoc etiam testatur Sophocles cum ait : *ἀναρχίας μέγιστον γνῶσιν ανδρὸς* h. c. anarchia nullum majus est malum. Item Plato lib. i. de legibus , cum assertit anarchiâ nihil esse pernitosius. Idcirco Cornelius Tacitus lib. i. hist. melius esse iudicat sub malo Principe esse, quam sub nullo.

VIII. Detestandi proinde Anabaptistæ aliique imperiorum osores, qui Magistratum homini Christiano gerendum esse negant. Rom. 13. 1. & seq. Magistratus secundum dictum Biantis virum ostendit : Et ut cognosci non potest , integrum nec ne vas sit, nisi liquor infusus fuerit : Ita nechomo cognosci potest, nisi imperium ei creditum , commissumque fuerit. Turpe & illiberale est sibi tantum vivere , & Rempublicam hospitium præbentem deserere.

**IX.** Quorum falsum quoque principium, quod in statu Innocentiaz nulla futura fuissent imperia, nullaz politiaz. Etsi homo mansisset in statu Innocentiaz : tamen propagato genere humano necessariò ex diversis familiis, seu societatibus domesticis hominum hinc inde per totum terrarum orbem dispersis, fuissernt constituendæ diversæ societates, ad vitam civilem melius & commodius inter se agendum. Deus non immediate rexisset singulos cætus generis humani ; Sed mediatè per magistratus cuilibet civili societati præpositos.

**X.** Nec sequitur , Imperia ab initio rerum talia non fuere qualia nunc sunt, Ergo eorum nulla necessitas, nulla utilitas.

**XI.** Imperii civilis gradus sunt  
1. Vicus, 2. Pagus, 3. Civitas. 4. Provincia. 5. Regnum, Arist. Pol. 1.2. & seq.

Keck.

## CAPUT IV.

27

*Keck. Syſt. Pol. Præcog. Dan. Pol. Chr.  
lib.1. cap.3.*

XII. *Etsi jubere & parere , sive  
Princeps & subditi , respectivè simul  
sint naturâ & tempore , rectè tamen  
dicitur , subditos principibus fuisse  
priores. Dan. Pol. Chr. lib.1. cap.5.  
St. Brutus Vindic. contratyrr. q.3.*

XIII. *Falçissimum igitur est , sub-  
ditos simpliciter esse propter Princi-  
pem , atque ex principum sanguine  
natos , esse principum mancipia in-  
quæ illi possint pro libitu dominari ,  
tanquam in id , quod ne esset qui-  
dem , nisi illi essent. Vid. Keck. Pol.  
lib.1. cap.1.*

XIV. *In subditorum numerum  
ac ordinem civium cooptari possunt  
Peregrini , Exules , Banniti , Excom-  
municati &c. non tamen quivis , nec  
nimis multi. Historia & commu-  
nis experientia testatur peregrino-  
rum assumptione , non tantum urbes*

B 5

aut.

aut plane novas exstructas , aut saltem veteres plurimum dilatari & amplificari ; Sed etiam reditus annuos viresque Reipublicæ plurimum augeri. Hinc Alexander Magnus urbe sui nominis *Alexandria* condita, singularia privilegia eaque magna concessit iis , qui eo habitatum convenirent : ex quo factum est , ut brevi tempore undique confluentibus hominibus in splendidissimam evaserit , ut testatur *Josephus. lib. 2. de bello Judaico.* Romanorum quoque Respublica nullo alio modo ad tantam exerevit amplitudinem , quam quod aditum peregrinis facile patet fecerint .

XV. Imperium est triplex : Principatus, Optimatū & Populi status ; Sive Monarchia, Aristocratia, & Democratia, *Lipf. Pol. lib. 2. cap. 2.* Imperium civile , quod in Republica est summum legitimè geritur aut ab uno ,

CAPUT IV.

29

uno, aut à pluribus. Si ab uno dicitur Monarchia. Si à pluribus geritur, aut geritur à paucis iisque optimatibus, & dicitur Aristocratis: aut ab universis, nempe populo ipso; & dicitur Democratia.

XVI. Opponitur his Tyrannis, Oligarchia, Ochlocratia.

XVII. Mixtæ imperij species ad tria illa capita revocari possunt. Bodin. lib 2. de Rep. cap.1. Tholos. lib.5. cap. 1.

XVIII. Aparte enim quæ præponderat, sive penes quam sunt jura Majestatis, denominatio sumenda. ibid.

XIX. Principatus ut antiquissima: sic præstantissima est ac optima Imperiorum forma. Quia maximè est ordinata, quatenus ab uno tota Respublica pendet, & ad unum reducitur. Reclit Homerus Iiad.2.

ox

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἰς κότε  
εανθρέπω,

Εἰς βασιλεύς.

Multos imperitare malum est : Rex u-  
nicus est.

Cui consentit illud Lucani lib. 1.  
bellorum civilium.

Nulla fides regni sociis , omnisq; poter-  
itas ,

Impatiens consorvis erit.

Historiæ testantur , Respublicas  
malè administratas non potuisse  
melius vitia sua emendare quam per  
recursum ad Monarchiam. Hinc A-  
thenienses , Lacedæmonii , Romani ,  
& alij populi , quibus aliquando fu-  
erunt Aristocratiæ & Democratiæ ,  
vel inviti coacti sunt necessitate  
compulsi redire ad Monarchicum  
imperium , & ei se subjicere .

XX. Omnibus tamen ac singulis  
gentibus non est optima , aut eligen-  
da semper. Dan. Pol. Chr. lib. 1. cap. 6.

CAPUT.V.

## CAPUT V.

DE

Principatu in genere, ac ille-  
gitimis eum capiendi  
modis.

§. I.

Principatus omneque imperium,  
civile rectè dividitur in legitimum  
& illegitimum. Quia , aut secun-  
dum naturam & rectam rationem  
geritur , aut contra naturam & re-  
ctam rationem. Si priore modo :  
dicitur legitimum ; sin posteriore ,  
dicitur illegitimum. Pol. Lips. 2. cap.  
3. Arist. Pol. lib.3. cap.6.7.

II. Principatui tamen illegitimo  
nomen hoc non ονονύμως univocè,  
sed analogicè tantùm competit. W.  
Heid. pol. cap. 6.

III. Illegitimus Principatus rectè  
Tyran-

32      IDEA POLITICA.

Tyrannis dicitur , eaque ut latè omnibus legitimis imperiorum formis ; sic strictè non nisi Principatui legitimo opponitur. *Arist. lib. 3. Pol. cap. 5.*

IV. *Principatus legitimus est unus imperium , moribus aut legibus delatum , suscepsum , gestumque parentium bono.*

V. *Impropriè à Bodino Principatus definitur per Aristocratiam vel Democratiam, cui unus de multis dignitate quidem præest , Majestas verò penes est populum vel optimates.* *Bod. lib. 2. de Rep. cap. 1. Werdenb. Synops. in Bod. l. 2. cap. 1. q. 12.*

VI. *Dyarchia ac Triumviratus triumve Imperatorum , diversa sumtione , vel Monarchia dici potest , vel Aristocracia , quæ tamen proprius ad Monarchiam seu Principatum accedit.* *W. Heid. Pol. cap. 6.*

VII. *Fœminæ , et si viris ordinariè*

riè posponendæ , sceptri tamen ac Principatus extraordinariè capaces esse possunt triplici de causa. 1. Propter legem specialem vel fundamentalēm ; si videlicet *juravononęatia* legibus regni fundamentalib⁹ non est prohibita , ut , in Anglia , in Scotia , in Dania , &c. ubi antiquo subditorum consensu fœminæ ad gubernacula Reip. admittuntur , ut horribilia evitentur incommoda , quibus regna illa tempore interregni premi possunt. Sin verò leges regni fundamentales , qualis lex Salica antiquis Gallorum tabulis consignata *juravononęglia* refragetur , mulieres ad regnum admitti haud possunt *Tirag. de jur. primog. q. 16.* 2. Propter necessitatem ; si videlicet casus sese offerat , ut nullum alium regiæ stirpis etiam longissimum membrum restet in eiusmodi regnis , ubi aut cum muliere tota Resp. est simul profliganda , aut hoc

hoc remedio medenda. In hoc enim casu præstat habere regnum fœmineo imperio gubernatum, quam prorsus nullum. Propter dignitatem; Si videlicet fœminæ, licet non sexu sint Masculi, animo tamen & affectibus sint masculæ, masculisque virtutibus instructæ, quasque ut Seneca venustè & eleganter inquit, natura solertes, industria literatas, educatio pias, experientia sapientes effecerit, id quod declarari potest exemplis tum sacris, tum profanis.

VIII. *Sacris. Semiramis Regina.*  
Assyriorum sexum mentita virilem post obitum mariti sui regnum Assyriorum annis 42 rexit magnasque res gessit, ita ut non fœminas modò virtute, sed viros anteiret, *sicut loquitur Justinus lib. 1. p. 14.* Babylonem enim muro cinxit; Æthiopiam quoque regno suo adjecit; Sed & India bellum intulit, quo præter eam & Alexan-

Alexandrum M. nemo intravit *Just.*  
p. 15. Unde Alexander M. non alium  
gentium harum magis admiratus est,  
quam *Cyrum & Semiramim*, in  
quibus & magnitudinem animi, &  
claritatem rerum gestarum longè e-  
micuisse credebat, *Curtius lib. 7.*

IX. *Profanis.* Elisabetha Regina An-  
gliæ, quæ ad miraculum usque docta,  
prudens & bellicosa fuit, de qua qui-  
dam usurpavit versum illum :

---- *Vos animos juvenes geritis mu-  
liebres;*

*Illaq, virgo viri.*

X. *Fœminæ*, quibus absoluta  
Gynæcocratia competit rectè dicun-  
tur Reges, quatenus officium admi-  
nistrant & munus virile, non aliter  
ac in ll. mulier procurator, mulier  
defensor, mulier judex &c. nomina-  
tur ; quoties nimirum masculum a-  
liquod munus ac officium suscipit  
& subit *l. fœminas* 41. ff. de proeu-  
rat.

XI. *Fœ-*

XI. Fœminæ, quæ matrimonio Regibus junguntur, non gaudentes Gynæcocratia propriæ dicta, non Reges, sed Reginæ, sunt dicendæ. Reginæ enim nomen, à matrimonio regio existentiam suam habet, æquè ac fœminæ nuptæ clarissimis personis clarissimarū personarum appellatio ne continentur. *l. 8. ff. de Senat. l. 10. C. de dignit.* non verò ab officio regiæ gubernationis, quæ natura sua virilis est. *Tirag. dejur. primog. c. 10. §. 13.*

XII. Nec senes depontani nec juvenes semper & ubique ab eo ar cendi : Sed videndum esse ante omnia, qui tam ex juvenibus, quam senibus maximè sint idonei. *Dan. Pol. Christ. lib. 6. cap. 3.*

XIII. Quin insani & mente capti aliquando rectè imperium gerunt, modò præsides habeant, & Consiliarios bonos.

XIV. Ab-

XIV. Absit ergò peregrinos regni  
incapaces ut dicamus. *W. Heid. Pol-*  
*cap.2.* Historiæ testantur multos pe-  
regrinos ad Reipublicæ gubernacula  
cum laude & fructu confedisse , ut  
patet ex catalogo exemplorum , quæ  
Junius affert i. parte quest. Polit.  
quest. 5.

XV. Cæteris tamen paribus in-  
quiline peregrinis , nobiles ac divi-  
tes pauperibus ac novis hominibus  
præferendi. Pauperes omnia timi-  
dius agunt quam divites, magisque  
linguam ligatam habent: imò ad ma-  
la magis incitantur. Hinc Aristoteles  
*lib.2. Polit. cap.7.* ait : ἡ πενία σάσιν εμ-  
ποιεῖ , καὶ παντρύαν , paupertas se-  
ditionem gignit & maleficium. Et  
Horatius lib.3. Carminum , ode 24.  
recte ait :

*Magnum pauperies opprobrium  
jubet.*

*Quidvis & facere & pati,*

*Virtu-*

*Virtutisq; viam deserit ardua.*

Unde etiam à Plutarcho in Lycurgo paupertas dicitur magnus Reipub. morbus.

XVI. Personæ Ecclesiasticæ nil obstat quo minus regno præfici queant. 1. Si legitimè, sive moribus aut legibus patriis convenienter, ad Principatum evocentur, 2. Si aliis ex religia prosapia deficientibus, ipsi hæredes sint paterni aut proximi. 3. Si alio vocato periculum seditionum, bellorum intestinorum, aut exterorum, aliorumque malorum subsit. 4. Si administrationem Principatus subeuntes ordinario renunciët Ecclesiastico muneri.

XVII. Non omnino ex plodiendi, qui, in consideratione personæ Principis, ad dotes quoque corporis respiciunt, quamvis animæ in primis attendendæ veniant. Pulchritudo corporis plerumquæ arguit, animi

animi pulchritudinem : sicut contra, corporis deformitas animi deformitatem. Hinc Pythagoras corporum structuram judicabat similem esse structuræ animi : Et distorta membra esse effectum atq; adeò testimonium animi pravis affectibus distorti. Idcirco scholæ suæ apposuit hanc inscriptionem, ne quis eam ingredere-  
tur, qui esset malè constructa corporis compage & deformi vultu. Et Gratianus distinet. 45. ex Augustino citat-  
cum, cuius facies deformis est, vix pos-  
se habere bonos mores.

XVIII. Mores autem & leges pa-  
triæ in hujuscemodi quæstionibus  
politiciis accuratè servandæ.

XIX. Natura mortalium tam-  
est avida imperij ac principatus, ut-  
multi viis ac mediis illegitimis eò  
contendere non dubitent. Lips. Pol.  
lib.2. cap.4.

XX. Tales sunt , qui nec boni  
ipſi,

40 IDEA POLITICÆ

ipsi, nec bono fine principatum appetunt.

XXI. Præcipuè autem Occupatio-  
nes imperiorum 1. Violentas. 2. Frau-  
dulentas illegitimis mediis anume-  
ro. Mon. Exemp. Pol. lips. lib. 2. cap.  
g. Tholof. lib. 7 cap. 17. Schonbor. lib. 2.  
cap. 19.

XXII. Ad vim & fraudes refero  
nundinationes ac emtiones imperio-  
rum. Bodin. lib. 6. cap. 2. Tholof. lib. 7.  
cap. 13. Cicero ait, non modo tur-  
pe esse, sed etiam sceleratum & insa-  
num habere quæstui Rempub. & Ca-  
fus. lib. 2. Sphærae civitatis, cap. 9 quæst.  
ultima. Civitatem, inquit, ad ha-  
stam figere, est immane scelus.

XXIII. In extremo tamen necessita-  
tis casu dignitatum ut venditiones:  
sic nec emtiones totaliter improban-  
da. Quia civitatē reddunt potentem  
& opulentam: præsertim si prætia e-  
mentium in thesaurum publicum re-  
ferantur.

XXIV.

## CAPUT V.

41

XXIV. Principatus flagitio quæ-  
siti nec felices sunt nec diuturni.

## CAPUT VI.

DE

Legitimis capiendi Princi-  
patus modis, sive de Electi-  
one & Successione.

§. I.

**M**odus legitimorum Principa-  
tus capiendi Origo & causa effi-  
ciens est Lex Gentium. *Lipf. Pol. lib. e.  
cap. 4.*

II. Modi hi duo tantum sunt, Electio  
& Successio; à quibus principatus di-  
citur vel Successorius vel Electitius.  
Hinc Petrus Gregorius lib. 7. de Repub.  
*cap. 4.* ait, Rempublicam certissimè  
turbari posse abiis qui imperii sunt a-  
vidi; nisi jure gentium fuissent ob-  
jecta duo potissimum remedia præ-  
stantis-

stantissima, unum successionis, aliud electionis.

III. Successio est cum gentilis is honos est, & Princeps è principe nascitur: Vel latius, est modus Majestatis acquirendæ, quo imperans imperanti vel hæreditario vel alio jure succedit.

IV. Electio est cum spredo natum jure, suffragiis designatur.

V. Electio an Successio præferenda? Pro successione pugnant Tholosan. lib. 7. c. 4. Bodin. lib. 6. c. 5. Ægid. Rom. lib. 3. de reg. pr. Burid. 3. polit. q. 25. Job. Marian. lib. 1. de regn. c. 3. Cas. 3. polit. c. 1. Hottom. de antiqu. jur. Reg. Gall. lib. 1. c. 14. Didoc. Covar. pag. 1. pract. qq. Lips. lib. 3. polit. c. 4. Eberhard. à. Weihe 1. q. de hac mat. 1. Quòd plurimi populi successione sint delectati, atq; ex illâ Reges suos petierint, ut pote de Ægyptiis, Parthis, Medis, Africanis, Turcis, Indis, Francis,

Francis, Hispanis, Corinthiis, Thebanis, Epirotis, Pertisinis, Arabibus, Moschowitis, Lacedæmoniis, Hetruscis, &c testatur *Bod. d. l. nu. 718.*  
2. Quia successio est naturalis; electio vero non est naturalis, sed artificialis. Naturale autem præferendum est non naturali. 3. Quia facile regni proceres, penes quos est eligendi potestas, pecunia corrumphi & expugnari possunt. Rationes pro electione sunt: 1. Quia electio est antiquior successione. Nulla enī potest esse successio, nisi olim aliquis fuerit electus, in cuius locum postea aliis succedere possit. 2. Quia nasci & generari à principibus, ut Tacitus ait *lib. 1. hist. or. fortuitum est, nec ultra æstimatur: Cooptandi autem judicium est integrum, et si eligere vis, consensu monstratur.* 3. Quia Germania, Hungaria, Polonia, Bohemia &c. hucusque electione usi sunt,

44 IDEÆ POLITICÆ.  
magno cum Reipubl. suæ commo-  
do.

VI. Laudanda tamen in primis  
*Successio composita, sive Electione*  
*temperata. Dan. Pol. Chrift. lib. 6.*  
*cap. 1.*

VII. Successio qua unus tantum  
filius, exclusis reliquis, succedit, est  
legitima. Expedit Reip. conservari  
honorem familiarum, *l. i. §. 13. ff. de-*  
*vent. inspic. l. 9. C. de quest. Forster.*  
*lib. 3. de succ. c. 4. n. 20.* quod sit, si suc-  
cessio penes unum sit: opes & digni-  
tas conjunctæ manent, & ita deprimi  
non potest familiæ autoritas.

VIII. Primogenito autem præ re-  
liquis successio debetur. *Gen. 49. 33.*  
*Deut. 21. 15. 16. 17. Exod. 11. 2. Paralip.*  
21. Nec omni ratione jus hoc carere  
videtur. Est enim verisimile natu ma-  
jorem, indole, usu, prudentiâ & vir-  
tute minores antecedere, quamvis  
hoc non sit perpetuum.

IX. Nec

## CAPUT VI.

45

IX. Nec refert ante an post adcep-  
tum à patre regnum sit natus. *Tho-  
lof. lib. 7. cap. 9. Arnif. lib. 1. cap. 9.  
Schonbor. lib. 2. cap. 10.*

X. Reliqui tamen fratres secun-  
dum sortem & nascendi conditionē  
honestē sunt alendi, non includen-  
di, more Abyssinorum Regum, ne-  
dum occidendi, prout à fratum ne-  
ce imperium inchoant Imperatores  
Turcici. *Mon. & Ex. Pol. Lips. lib. 2. cap.  
4 mon. 2.*

XI. Nepos patruo est præferen-  
dus. *Mon. & Ex. Lips. lib. 2. cap. 4.  
mon. 3. Bod. lib. 6. cap. 2. Arnif. lib. 2.  
cap. 11.*

XII. Spurii successio improbanda,  
nisi fortè patriæ salus aliud suaserit.  
*Thofof. lib. 7. cap. 8. Arnif. lib. 1. cap. 9.  
Schonb. lib. 2. cap. 1. Exempla, quæ de  
Spuriis ad gubernandā Rempub. ad-  
missis ex historiis tam sacris quā pro-  
fanis recenset Jurius in parte 1. quæst.  
Polit. quæst. 16.*

C 2

XIII.

46 IDEA POLITICÆ.

XIII. Confœderationes, quibus in illustribus familiis ad agnatos deferuntur imperium, legitimis succedendi modis annumerandæ. *Schonbor. lib. 2. cap. 13. Aug. Visch. de elect. Reg. Rom.*

XIV. Datur etiam Successio legitima ex jure 1. Connubiorum. 2. Donationis. 3. Testamenti. 4. Belli. *ibid.*

XV. Etsi communiter verum sit, melius esse sensim & gradatim, quam subito ad magnos honores ascendere, in Principum tamen filiis id locum non habet. *Jun. part. 1. quest. Pol. q. 10.* Apud Romanos olim non licebat absque mediis, honorum gradibus, cuiusmodi erant tribunatus plebis, prætura, ædilitas, ad consulatum statim tendere. In historiis quoque multa exempla leguntur virorum magnorum, qui gradatim ad honores ascenderunt.

XVI. Electio debet esse publica & libe-

libera 1. Quia persona eligenda est publica. 2. Quia electio ad publicum bonum promovendum & conservandum dirigi debet. 3. Quia omnes suspiciones sunt vitandæ, quæ ex privatis & clandestinis conventiculis ori-ri possunt. 4. Quia ubi non est libe-  
tas, ibi non est electio ; neque eligi potest is, qui artibus quibusdam se intrudit. 5. Quia electio rationibus, non affectibus est dirigenda & mo-deranda. Idem etiam *Plato lib. 6. de legibus vult*, electiones magistra-tuum liberè & incorruptè fieri.

XVII. Suffragia in *electione* non tantum annumeranda sunt, verūm etiam ponderanda, sic ut optima sint, quæ numero simul & pondere vim-eunt.

XVIII. Ad suffragia referimus ser-tem, eaque *Electiōnē* perfici ali-quando posse minime dubitamus.  
*1. Sam. 10. 20. Act. 1. 25. Prov. 16. 13.*

*Bodin. lib. 6. cap. 5. Cas. lib. 4. cap. 15.*  
*Jurigentium etiam electio per sorte est consentanea : si quidem multi populi in electione Magistratus sorte usi fuisse leguntur, ut narrat Petrus Gregorius lib. 7. de Repub. cap. 14. Hinc apud Athenienses magistratus alii erant κληρωτοὶ, sorte electi, alii χειροτονοὶ, suffragio populi electi.*

**XIX.** Cursibus tamen equorum, Monomachiæ aliisq; ludicris certaminibus Electionem justè committi haud facile crediderim. *Keck. Syst. Pol. lib. 1. cap. 4.*

**XX.** Idoneus ad principatum electus, si alii desint, ad eum suscipiendum cogi potest. Quia publicum Reipub. bonum semper præferendum est privato cujusque bono. Ideoque ad illud procurandum etiam cogendi sunt homines, qui sponte id facere nolunt. Non tantum leges

leges civiles approbant ejusmodi co-actionem; sed etiam consuetudines benè constitutarum Rerump. quæ eos, qui magistratus oblatos recusant propter difficultatem istius munericis, quo nullum in terris est magis arduum, punire solent, vel capite, ut Athenienses, vel libertate, ut Romani, vel patria, ut Spartani, vel pecunia, ut alia Respublicæ. Salus Reipublicæ consistere non potest, si digni recusarent ejus administracionem. Ideoque ne Respublica naufragium faciat ad gubernaculum illius suscipiendum illi, qui digni sunt, si alia via non supereft, sunt cogendi.

**XXI.** *Inauguratio sive Coronatio Principis* etsi minime negligenda; ita tamen necessaria non est, ut ei, qui inaugurate non est, plenam principatus potestatem deroget. *Tbosf. lib. 6. cap. 20. Schonb. lib. 2. cap. 20.*

## CAP. VII.

DE

Administrando Principatu  
per virtutem & Pruden-  
tiam,

## §. I.

**F**Rustra recte suscipitur Principa-  
tus, nisi & administretur. *Lipſe*  
*Pol. lib. 2. cap. 5.*

II. Media rectæ administrationis  
sunt Principis, 1. Virtus, sine qua  
Princeps non est Princeps, sed tyran-  
nus: neque civitas est civitas, sed fu-  
riosa facinorosorum hominum mul-  
titudo: neque Respublica est Re-  
spublica, sed horrenda confusio.  
Omnis politia sine studio virtutis est  
quasi plumbea regula sine manu ar-  
tificis. 2. Prudentia, quæ non est a-  
liud, quam notitia rerū eventuumq;  
& ju-

& judicium in iis rectum. Hæc sola præit, & dicit ad rectè faciendum. Plato in Menone, estque perfectum bonum mentis humanæ. Sen. ep. 89. Hinc est, ut famuletur omne quicquid est prudentiæ. Menand.

III. *Virtus* Principis debet esse constans, ac locum habere, non in principio tantum Regni, sed medio ac fine ejusdem, Nimirum, ut Ovidius ait:

*Omnia tunc bona sunt, clausula  
quando bona est.*

IV. Quamvis principatum initia plerunque laudabiliter, medium ac finis secus se habeant. Mon. & Exempl. Lips. lib. 2. cap. 6. Chok. Thes. aph. Pol. lib. 1. cap. 8.

V. Cujus mutationis causæ, sunt 1. Occultæ, Providentia scil. Divina. 2. Apertæ, eæque 1. In Principe. 2. In Subditis. 3. In ipso Principatu. In illo consideranda. 1. Nisus, pudor

## 52 IDEA POLITICA.

ac fama initialis. 2. Infirmitas humana, quam sufflaminant gnathones aulici: *In his* 1. Credulitas. 2. Inobedientia, ingratitudo ac rebellio: *In hoc* splendor & potentia impotens. *Mon. & Ex. Lips. lib. 2. cap. 6.*

Vl. Hinc tamen non sequitur, Principatum ambulatoriū, non perpetuū esse debere. *Bodin. lib. 4. cap. 4.* *Tholos. lib. 4. cap. 4.* *Piccol. gr. 10. cap. 19.* *Dan l. 6. c. 5.* Omnis mutatio in Repub. solet esse pernitirosa, non secus ac in corporibus humanis mutatio diæta. Novi magistratus bonorum publicorum sunt avidiores, quam veteres & perpetui: non secus ac hirudines famelicæ acrius mordent sanguinemque ex corporibus eliciunt, quam satiatæ. Hinc vulgo dici solet: *Non parcit populis regnum breve.* Et Tiberius Imperator, cum amici quererentur, illum potestates ac imperia perpetua fecisse, reposuit illud: *Hirudines, quem multo sanguine han-*

## CAPUT VII.

53

*bausto rumpuntur, quiescere: recentium morsus esse acerrimos: Sic novos magistratus, quicquid sanguinis est & medullarum avidate summa baurire.*

VII. Contemplatio Finis veri principatus haud exiguum Principi est ad perseverantiam in virtute incentivum. *Pol. Lips. lib. 2. cap. 6.*

VIII. Finis hic subditorum est commodum, securitas, salus: sive, ut Respublica opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honesta sit, *Cic. 5. de Rep. Seneca de Clementia*, ab imperante cogitari vult, non suam esse Rempublicam, sed se Reipublicæ. Item *Claudianus*, ubi Honorium informat :

*In civem, patremque geras, tu  
consule cunctius,  
Non tibi, nec tua temoveant, sed  
publica damna.*

Et hoc est, quod dicit Aristoteles 5.  
*Ethic. c. 6. Magistratum non sibi, sed  
allis laborare.* C 6 IX.

IX. Cura autem Principis propria, mollis vita, magnitudo domestica, licentia peccandi, otium &c. pro fine minimè habenda. *Mon. & Ex. Lips. lib. 2. cap. 7.*

X. Secundariò tamen & sibi justè consulit Princeps, sicque sibi consulendo notam tyranni haud incurrit, aut minus rectè sapienti Medico, propitio Patri, vigili Gubernatori, bono ac studioso Pastori comparatur. *Cas. Sph. civ. lib. 3. cap. 4. confer. Arist. 8. Pol. 10.*

XI. Ridiculus est finis, quem Mexicanii præscribunt Principi, nim. Efficere, ut Sol cursum splendoremq; suum teneat, nubes pluant, rivi currant, & terra producat omne genus frugum. *Not. Lips. ad cap. 6.*

XII. Burgundiorum quoque praxis, qua Rex removetur, si sub eo fortuna titubaverit belli, vel segetum copiam negaverit terra, ridicula-

est

CAPUT VII.

55

est & impia. *ibid. ex Ammiano lib. 27.*

XIII. Virtus & prudentia Principis media sunt, cum recte administrandi principatus, tum finem ejusdem optinendi. *Pol. Lips. lib. 2. cap. 7.*

XIV. Prudentia in actionibus, virtus in vita Principis elucidare imprimis debet.

XV. Virtus Principi assimenda. 1. propter semetipsum. 2. propter subditos : & quidem sui ipsius causa, ex 1. decoro 2. fama propria 3. utili, sive regni firmitate. Quia.

-- -- -- *Ubi non est pudor  
Nec turajuris, sanctitas, pietas,  
fides,*

*Instabile regnum est.* Senec  
Thyest.

XVI. Profana proinde est vox;  
Sanctitas, Pietas, Fides privata bona  
sunt; qua juvant Reges eant. Sen.  
Thy

*Ibyest. confer. Antim. lib. 3. th. 25.  
27.*

XVII. Subditorum causâ virtutem induit Princeps, quando curat, ut, sicut ipse bonus est, sic & subditi sint tales; prædicti nim. Virtutibus Ethicis, Oeconomicis, Politicis. *Pol. Lips. lib. 2. cap. 8. Keck. Pol. lib. 1. cap. 3.*

XVIII. Culpandi autem qui eò munitiores Reges censem, quò illi quibus imperitant nequiores fuere. *Sallust. ad Cæs. confer. Gentil. Anti- mach. lib. 3. cap. 5. 30. 31.*

XIX. Probos subditos Princeps reddit viâ 1. legum 2. exempli. *Fol. Lips. lib. 2. cap. 9.*

XX. Et exemplis quidem efficacius docet, quam ipsis legibus. Duci enim *natura mavult*, ( exemplo ) quam cogi ( legibus ) *Lips. l. 2. c. 9. Ex-asperat namque homines exasperata correctio: at blandissimè juberur exem- plo.*

CAPUT VIII. 57  
plo. Plin. Paneg. Unde Poëta Claud.  
verissimè canit:

--- Componitur orbis  
Regis ad exemplum: nec sic inflecte-  
re sensus  
Humanos edicta valent, quam vita  
regentis.

## CAP. VIII.

DE

### Justitia Principis ac Le- gibus.

§. I

Virtutes Principi decoræ & utiles  
sunt 1. omnes 2. certæ quædam  
Principatum proprius spectantes. *Lips.*  
*Pol. lib. 2. cap. 10.*

II. Hæ sunt Justitia, Clementia,  
Fides, Modestia, Liberalitas &c.

III. Sine Justitia Principis Regna  
nil sunt nisi magna latrocinia. Au-  
gustin.

gustin. 4. de Civitate Dei. Hæc virtus est, quæ Trajanum justitiæ ac juris humani divinique tam repertorem novi, quam inveterati custodem, Aurel. Vict perpetua nominis celebritate mactavit: hæc Aristidem evexit: hæc Romani Imperii vim ad summum transtulit apicem. Hæc virtus est, sine qua nihil in Imperii administratione laudabile efficitur. Cicer. 3. Offic. Magistratui justitia conciliat non tantum amorem, fidem, honorem & laudem apud subditos: sed etiam regni stabilitatem. Hinc Ochus Artaxerxes morti vicinus interrogatus à filio, quo pacto tot annos regnum custodisset, respondit, justa erga Deum, hominesque faciendo. Et Augustus Imperator dixit, pietate & justitia Principes Dii fiunt.

IV. Proinde detestanda est sententia Machiavelli, qui cap. 18 de Princepe statuit licitum esse interdum Principi

## CAPUT VIII.

59

cipi fidem non servare, sed fallere & dissimulare, ac modò vulpis, modò leonis mores assumere.

V. *Justitia in Principe est virtus, jus & æquum in se inque aliis firmiter servans.* *Vid. Mon. & Ex. Pol. Lips. lib. 2. cap. 9.*

VI. *Justitiae igitur & Legibus ipse Princeps est alligatus.* Et propterea etiam Bodinus lib. 1. de Repub. cap. 8. ait. *Legibus divinis & naturalibus principes omnes ac populi æquè obligantur: quas si perrumpere aut infirmare tentabunt, divinae majestatis judicia non effugient.*

VII. *Defendi tamen & illud Ulpiani potest: Princeps legibus solutus est.* *L. 31. ff. de leg. confer.* Bodin. lib. 1. de Rep. cap. 8. Tholos. lib. 7. cap. 26. Keck. lib. 1. Pol. cap. 3.

VIII. *Falsum.* 1. *Illud Tiridatis: In summa fortuna id æquius quod validius.* 2. *Euphemus: Viro aut urbi prin.*

60 IDEA POLITICA.

principi nihil injustum quod fructu-  
osum. 3. Juliæ Augustæ: An nescis  
te Imperatorum esse & leges dare  
non accipere? 4. Anaxarchi: Quic-  
quid à Jove (principe) decretum id  
jure quoque factum est. Tac. 15. Ann.  
Thucyd. l. 6. Vid. Not. Lips. ad cap. 10.

IX. Justitiam Princeps etiam sub-  
ditis administrare tenetur. Pol. Lips.  
lib. 2. cap. II. Mon. & Ex. lib. 2. cap.  
10.

X. Causas audire & Jus dicere.  
Principi haud indecorum est. Not. ad  
cap. 11. Mon. & Ex. lib. 2. cap. 10.

XI. Jus administrandum Principi  
æquabiliter, infimis æquè ac sum-  
mis.

XII. Justitia venalis Principi mini-  
mè debet esse, sed sine pretii ac gra-  
tiæ aspectu judicandum ei. Mon. &  
Ex. Lips. lib. 2. cap. 10.

XIII. Justitia secundum præscri-  
ptum legum, non pro arbitrio, sine  
legi-

CAPUT VIII. 61

legibus, exercenda: quamvis non tam verba legis, quam æquitas ejusdem sit spectanda. L. 17. ff. de leg.

XIV. Potest tamen Princeps legem latam justè interdum mutare: quin & relictâ lege, secundum consuetudinem (excipe irrationalē) sententiam ferre. Cas. lib. 2. Pol. cap. 6. Keck. Pol. lib. 1. cap. 6.

XV. Adde quod &, ex causa,noxam interdum remittere, damnatosque vitæ ac famæ restituere possit. Dan. Pol. Chr. lib. 6. cap. 3.

XVI. Nunquam tamen contra conscientiam suam judicare debet, quicquid etiam de actis & probatis sit. Amef. Cas. Consc. l. 5. c. 54. Keck. lib. 1. Pol. cap. 17.

XVII. Dispensatio Papæ, quam in Legibus Divinis sibi arrogat, mera blasphemia est. P. Mart. loc. com. clas. 2. cap. 10.

XVIII. Imperium melius ab optimo

mo Rege quam ab optima Lege ad-  
ministratur. *Cas. Spb. Civ. lib. 3. cap.  
II.*

XIX. Cavenda Legum & Judicium  
multitudo. *Mon. & Ex. Lips. lib. 2.  
cap. 10. chok. aph. Pol. lib. 2. cap. 4.*

XX. Etsi in Processibus publicis  
gravissimè ab Advocatis sàpe pecca-  
tur, Caussidicina tamen in totum  
neutiquam improbanda; quin cum  
ratione insaniunt, qui judicia foren-  
sia & munera judicum Christianis il-  
licita esse clamitant. *Rom. 13. Act. 15.  
10. Ames. Cas. Consc. l. 5. c. 54.*

XXI. Nec culpo Curias & ordines  
Judicum perpetuos, quà Supremos  
quà Inferiores. *Mon. & Ex. Pol. Lips.  
lib. 2. cap. 10.*

CAP.

## CAPUT. IX.

DE

Clementia & Fide Prin-  
cipis.

§. I.

**C**lementia est virtus animi à pœna  
aut vindicta ad lenitatem cum  
judicio inclinantis. *Lips. Pol. lib.*  
*i. 2, cap. 12.*

**I.** Hæc ut omnes homines : Sic  
Principem maximè decet , ut , quæ  
non immerito audit Imperiorum Lu-  
na , sicut Justitia eorundem Sol. Cle-  
mentia firmum & stabile reddit re-  
gnum : hæc in quamcunque domum  
pervenerit , eam felicem tranquil-  
lamque præstabit. *Senec. i. de elem.*  
*cap. 5.* Nam qui benignitate ac cle-  
mentia Imperium temperavere , his  
candida & lœta omnia fuerunt : et  
iam

iam hostes æquiores , quam illis ci-  
ves. Sallust. ad Cæs.

III. Quod autem Machiavellus  
*cap.17. de Principe* asserit, interdum  
licitum esse Principi inclem tam,,  
sævitatem & crudelitatem adhibere:  
tutiusque esse , Principem à subditis  
metui, quam amari. Illa opinio ut  
rectæ rationi & scripturæ Sacræ est  
contraria ; ita merito est exploden-  
da.

IV. Exercet autem Clementiam  
Princeps cùm alibi , tum præcipuè in  
injuriis , calumniis &c. personam.  
suam tangentibus. *Mon. & Exempl.*  
*Lips. lib.2. cap.12. Chok. aph. Pol. lib.2.*  
*cap.5.*

V. Usurpanda tamen cum judi-  
cio , ne in mollitiem & lenitudinem  
degeneret. *Pol. Lips. lib. 2. cap. 13.*

VI. Vera namque Clementia ju-  
stitiam temperat, non tollit.

VII. Nec cò se extendit ut homi-  
cidis

cidis, blasphemis, aliisque condemnatis capitibus, posita etiam Inauguratione Principis, immunitatem indulgeat. *Aug. Vischer. tract. de Elect. Reg. Rom. p. 116. Dan. Chr. lib. 6. cap. 7.*

VIII. Crimen quoque læse Majestatis severè punitum, etiam pro re nata, in posteritate Principem non reddit inclementem. *Kek. syst. Pol. lib. I. cap. II.*

IX. Judæi antem instituendo & observando morem, quo circa festum Paschatis vincitus dimittebatur, peccarunt gravissimè. *Monach. Hieropol. lib. 2. cap. 13.*

X. Asyla autem, quatenus refugia sunt sacrilegorum aliorumque facinorosorum hominū, neutiquam probanda. Idcirco etiam *Exodi. 21.* Deus ab altari suo avellere eum jubet, qui data opera & ex insidiis proximum suum occiderit. Nec in jure asyla

## 66 IDEA POLITICA

asyla conceduntur latronibus, homicidis, virginum raptoribus, sacrilegis, reis divinæ & humanæ majestatis, &c. Vid. P. Sarpium de Jure Asylorum.

XI. Malè Cleon tria nocentissima imperio dixit, Miserationem, Blan-diloquentiam & Lenitatem. : Male-que Machiavellus Principi sævitiae famam negligendam esse, dummodo subditos in obsequio contineat, sua-det. Vid. §.3. Thuc.l.3. & Antimach. lib.3. cap. 8.

XII. Crudelitatem, quæ laudabilem finem sibi proponit, reprehendi non debere, ejusdem ex Hetruria Doctoris est παρεγάδοξος. Ibid. cap.13.

XIII. Vox Neronis, Quam vel-lem literas nescire, clementiæ vox non est: Nec excusari in universum potest Antonini Philosophi oratio, quâ, Absit, inquit, ut me tenente Principatum, vestrum quisquam, meo vestroqe decreo.

CAPUT IX. 67

decreto capite damnetur. Ad. Conz. Pol.  
lib. 3. cap. 16. §. 23.

XIV. *Fides est effectum quod in nobis sit dicti aut promissi. Lips. Pol. l. 2. cap. 14.* sive, est dictorum conventionumque constantia & veritas Cic. t. Off.

XV. Hæc Principi, cui sua aut Publica res cara, cara esse debet. Si ne fide omnes Regum & Principum virtutes obscurantur. Mon. & Ex. lib. 2. cap. 10. Chok. lib. 2. cap. 12. 13. 14. 15. Ad. Contz. lib. 3. cap. 8. §. 8.

XVI. Nec frangenda ullâ aut vi aut necessitate, nisi scil. turpe quid aut impossibile lege sit promissum. Ibid.

XVII. Ne regnandi quidem spe. Chok. lib. 2. cap. 12. 13. Ad. Contz. lib. 3. cap. 8.

XVIII. Aut quando fraus occasio nem ei dedit. Less. de l. & Jur. l. 2. c 42. dub. 7.

D

XIX.

XIX. Servanda vero cum omnibus, tum etiam infideli, hæretico, hosti. *Jof. 9.18.19.* Nulla victoria tanta gloria afficit Principes, quam tam ei affert fides servata, ut testatur exemplum M. Attilii Reguli. Idcirco Romani populi fides perfidis et iam hostibus explorata erat,

XX. Hostium tamen illegitimum, Prædonum, inquam, & latronum, quin alia sit ratio, nullatenus dubitandum, ideoque distinctione hic opus est. *diff. nonnihil Chok. aphor. Pol. lib. 2. cap. 12.*

XXI. Profanæ sunt voces. 1. Fides virtus est Principi damnosa. 2. Princeps ingenium versatile & arte usus que factum in saevitiam & perfidiam habere debet, ut re ipsa talem se præstet, quoties expedierit. 3. Princeps pacem cum finitimo pactam & jurando firmatam violare cupiens, amico ejus & socio arma inferre debet.

bet, & sim. *Vid. Antimach. l. 3. theor.*  
*22. 23. 24. &c.*

## CAP. X.

DE

Modestia, Liberalitate &c.  
Principis.

## §. I.

**U**T Fides Justitiam; sic *Modestia*,  
*Clementiam assiduè comitatur.*  
*Lips Pol. lib. 2. cap. 15.*

II. Modestia est ratione temperatus, nec actione exsultans, de se suisque sensus. *ibid.* quâ cum def. non pugnat illa, quam Arist. 4. Eth. 4. dat.

III. Modestia licet rara in aulis sit & Principibus virtus, esse tamen debet. Modestiae fama nec à summis mortalium aspernanda est. *Tacitus.* Est enim omnis virtutis promptuarium. *Menand.* Et Deorum donum.

D 2

pul-

## 70 IDEA POLITICA.

pulcherrimum. *Eurip. in Medea.* Prin-  
ceps enim quilibet, nisi ob fortunæ  
indulgentiam rerum prosperitate  
ebrius luxuriat, ex monito, *Plin in*  
*Paneg.* non minus hominem se quam  
hominibus praesesse cogitabit, seque  
ab illa lege & conditione omnibus  
indicta mortaliibus, non esse exem-  
ptum.

IV. Sita autem est non in animo  
seu sensu tantum Principis, sed etiam  
in externis actionibus, in sermone,  
cultu, omniisque apparatu exter-  
no: five, Modestia Principis esse debet  
1. interna 2. externa.

V. Utriusque autem extrema vi-  
tanda Principi, maximè interna ani-  
mi superbia. Radix cuncti mali &  
regina omnium vitiorum est super-  
bia, ut docet *Gregorius lib. 17. Mora-*  
*lium.* Insolentia Principum & suber-  
bia alienat valde animos subdito-  
rum ab eorum amore, & obedi-  
tia.

VI.

VI. Etsi in Principum Titulis non  
levis sæpè se prodat vanitas, illæsā ta-  
men modestiā debiti adhibentur,  
quod & factum innoxie ab Imp. Ju-  
stiniano, *Proœm. Inst. &c. Tholos. de*  
*Rep. l. 6. c. 11.*

VII. Sermo Principis debet esse  
gravis ac paucus, affabilitate tamen  
temperatus. *Lips. lib. 1. Pol. cap. 7.*

VIII. Vestitus cultusve ejusdem  
nec abjectus esto, nec exuberans, ut  
nec pompa ac circumfusa externa  
species. Amabiliores sunt Princi-  
pes, si utantur vestitu modico; non  
nimio; non peregrino. Vestitus est  
insignis & mollis superbiæ vexillum,  
nidusque luxuriæ. Quod notat in  
Dario Curt. lib. 3. *Cultus*, inquit, *Re-*  
*gis*, inter omnia luxuria notabatur:  
purpureæ tunicae, medium album in-  
textum erat, pallam auro distinctam,  
aurei accipitres, velut rostris inter se  
corruerent, adornabant. & Zona aurea

D 3 mulie-

*muliebriter cinctus acinacem suspende-  
rat, cui ex gemma erat vagina, &c.  
Eandem reprehensionem effugere,  
nequit Maximinus Junior, qui in ve-  
stibus tam accuratus erat, ut nulla  
mulier nitidior esset in mundo. Ca-  
pitolin.*

IX. Modestia ita colenda Princi-  
pi, ut acre illud ad imperium telum,  
*Majestatem scil. quæ reverenda est*  
quædam amplitudo ob meritum vir-  
tutis aut rerum affinium, minimè ne-  
gligat, *Lips. Pol. lib. 2. cap. 16.*

X. Liberalitas ut Principi debet  
esse commendata; sic adhibenda 1.  
cum iudicio. 2. cum modo. Non  
magis verè Princeps imperabit, si be-  
neficus non extiterit, quam si Sol ra-  
dios suos hominibus, aliisque ani-  
malibus non præberet. Liberalitas  
Magistratus plurimum adjumenti  
affert ad tuendam & & amplifican-  
dam Rempubl. Hinc cum Aurelia-  
nus

nus Imperator ex consiliariis suis  
quæreret, quo pacto recte feliciter g<sub>z</sub>  
Respub administrari possit? responsum  
ei est, ferro & auro: ferro contra ho-  
stes: auro apud cives & benè meritos.  
In quam sententiam etiam Seneca  
de beneficiis inquit: Melius beneficiis  
Imperium custoditur, quam armis.

XI. Cavenda autem virtutis hu-  
jus extrema, Avaritia & Prodigali-  
tas; quarum hanc Liberalitatis, il-  
lam Parsimoniae magnonio pseudo-  
politici obtrudunt Principi. *Tac. i.*  
*Hist. Antimach. l.3. theor. 26.*

XII. Pyramidum Ægyptiarum,  
exstructio insanam magis Regum-  
istorum profusionem, quam lauda-  
bilem magnificentiam præ se fert.  
*Keck. lib.1. Pol. cap.3.*

XIII. Missilia in Principum co-  
ronatione; jacta, & si usum quem ha-  
beant, præstat tamen, si in alia magis  
stabilia, quam in hæc transitoria.

multum sumtuum effundat Princeps.

*Aug. Visch. tr. de cor. Reg. Rom. Keck.*

*Pol. lib. 1. cap. 3.*

XIV. Ut Princeps beneficentiam exercere queat, dicendum, posse cum justè divitiis ac opibus studere, nec ærarium ipsius vacuum semper esse debere. *Menoch. Hierop. lib. 3. cap. 17.*

XV. Castitas Principi servanda, cùm in conjugio, tum extra illud. *Cbocck. Apb. Pol. l. 5. c. 12.* Virtutibus reliquis facem præbet castitas: nec sola est. sed plerumque cæteris comitata virtutibus, nam pudicitia est virtus (inquit Augustinus lib. 1. de Civ. Dei,) qua comitem habet fortitudinem. Castitatis est, non pellicum sese immisce-  
re gregi, quod Sardanapalus facere solitus est: sed matrimonium rectè ini-  
nitum habere. Nullum enim honestius Imperioriæ mentis levamen,  
quam assumere coniugem, prosperis  
dubiis-

dubiisque sociam , cui cogitationes  
intimas , cui parvos liberos tradas.

Tacit. 12. ann.

XVI. Amor autem ipsius erga  
conjugem , ne in *γνωμονερατιαν* de-  
generet prospiciendum : Nec secreta  
Imperii uxori facile committenda .  
Mulieres ad divulganda arcana sibi  
concredita , variis causis impelli so-  
lent , nimirum vel laudis & gratiæ a-  
pud alios aucupio , vel ex vi benevo-  
lentiæ & amore erga alios , vel ex ira  
aut odio , quo offendæ persequuntur  
eum , qui antea arcana , iis dixit . Pro-  
inde Princeps suæ uxori omnia arca-  
na concredere non debet .

XVII. Sunt quædam arcana , quæ  
sine levitatis insignis nota , ac sine  
magno ac evidenti periculo non pos-  
sunt uxori communicari , cujusmodi  
sunt ea , quæ salutem publicam con-  
cernunt , & patefacta vel multa bona  
impediunt , vel multa , eaque ingen-  
tia mala pariunt . D 5 XIIIX,

XIIX. *Ira* Principis aut nulla esse debet, aut aperta. *Chok.* cap. 8. l. 10. *Sen. de Ira.* lib. 3. cap. 16.

XIX. Convicia ut Principi verâ animi Magnitudine sunt sperneda: sic *Fame* cura nunquam ei est negligenda. *Tiberius Cæsar* apud *Tac.* 4. *Annal.* vult unum insatiabiliter esse parandum Principi, prosperam sui memoriam: nam contemptu famæ contemni virtutes. *Ibidem* asserit, Principi præcipua rerum ad famam esse dirigenda. Nam (ut ait *Plinius*, *P. neg.*) ea non imaginibus, & statuis; sed virtute & meritis prorogatur: & (ut ait *Jul. Scal. epist. ad Silv.*) misera est foris fama, nisi sit præsidium domi.

XX Famam Principis *Doctrina* provehit, quæ proinde amanda ei, ac promovenda, sed 1. ad usum, non pompam, 2. cum modo.

XXI. De Scholis tenendum. 1. Barbaram esse vocem & tyrannicam, Artium

Artium Scholæ & Academiæ Regibus sunt tollendæ. 2. Fœminas promiscuè à doctrinæ sacræ non esse artendas 3. Paradoxum esse, quod solum Nobilium filii liberalibus scientiis sint imbuedi : Et heterodoxum, quod litteræ Nobilibus non convenient. *Caf. Sph. Civ. lib. 5. cap. 11. Horol. Prince. l. 2. c. 23. & seq. Tholos. lib. 7. cap. 11. Caf. lib. q. cap. 9. Keck. Pol. lib. 1. cap. q.*

XXII. Sicut ante Licinium Imperatorem literarum osores, quam plurimi inventi sunt, ita etiā hodiè inveniuntur, qui literis nihil infestius & pestilentius perhibent, sed cum nobilium prudentiâ regendi sunt non subditi tantum, sed ipsi Reges & Principes, eruditioni nobiles operam dare oportet, siquidem illa sola.

*Emollit mores nec finit esse feros.*

CAP

## CAP. XI.

DE

Prudentia Principis Mutu-  
atitia, sive de Consili-  
ariis.

## §. I.

**A**lterum veri Principatus finem, Rectamque illius administrati-  
onem obtinendi medium est *Pruden-  
tia* Principis, sine qua imperium non  
infirmum tantum, sed & nullum.  
*Pol. Lips. lib. 3. cap. 1.*

II. Prudentia est duplex *Propria*,  
qua ex sepe Princeps, & *Mutuatitia*,  
quâ aliorum ex monitis prudenter  
agit. *Pol. Lips. lib. 3. cap. 2.*

III. Prudentia propria in Princi-  
pibus, cum sit rara admodum, quia,  
si imperium respicias, impossibilis  
fere, idque ob defectum vel ætatis,  
vel

## CAPUT XI.

79

vel institutionis , vel naturæ eorumdem, inde est, quod *Mutualitia* necessariò ipsis sit assumenda , quamvis hæc quoq; necessaria sit Principibus prudentibus & consilio pollentibus.  
*Keck. curs. Phil. disp. 10. q. 3. & de Consiliari. q. 1.*

IV. Malè proinde ex Italia Doctor, Bonum, inquit, Principis consilium ex ipsius prudentia nasci debet: si fecus fiat, bono consilio uti non potest. *Antimach. l. 1. theor. 1. Keck. de Concil. & Consult. q. 1.*

V. Verè contra veri Politici , opus est, inquiunt , Principi *Adjutoribus* , veluti amicis ac boni Imperii bonis instrumentis. *Lips. Pol. lib. 3. cap. 3. Chok. lib. 2. cap. 23.*

VI. Adjutores hi sunt I. *Consilia-  
rii*, qui lingua & mente in primis ju-  
vant. 2. *Aministri*, qui manu & factis.

VII. Consiliariorum summa est 1.  
dignitas 2. necessitas. *Schonbor. lib. 3.*

cap.

*cap. 26. Altib. Pol. cap. 21. Tholof. lib. 24.  
cap. 25.*

VIII. Dignitas Eorum est tanta, ut pars corporis ipsorum principum censeantur, *l. quisquis, 3. in pr. C. ad L. Jul. Majest. c. si quis, 6. q. i. c. felices de pæn. in 6.* Et cum ipso Principe unum constituant corpus, *l. ius senarorum, 8. C. de dignit.* Hinc Consiliarii dicuntur amici principum, *l. q. c. de contrab. stipul.* Hinc Alexand. Severus Imp. Ulpianum Jctum parentem suum appellare dignatus est, *l. ex divi. C. de Lorat. & cond.* Quem Justin. Imp. summi ingenii virum appellavit, *in l. unit. §. 9. C. de eadu-  
to.* Hinc & Patritii vocantur, *l. un. C. de Coss.* Unde etiam venit, quod Consiliarii summi Principis liberati sint patriæ potestatis nexu, *l. ii. c. de Coss.* Inque eos committatur cri-  
men læsæ Majestatis, *d. l. quisquis, C. ad L. Jul. Majest.*

IX.

IX. Ex quibus statim pater,  
quām necessarii sint Principi Consiliarii. Cum enim Amici, pars  
Principum, Parentes Imperatorum  
vocentur, sicuti privatus absque amicis perfectè felix non est; is, qui  
aliquam sui partem desiderat, mutius est; & sicut liberi sine suis parentibus vix atque vix res justè suas administrare possunt; ita quoq; Principes regimini benè recteque præesse haud possunt, nisi Consiliariorum ope subleventur, & serventur. A quā sententiā non tantūm non abeunt Sacræ literæ, Proverb. 11. 14. 15.  
22. Ecclesiastici 40, 25. verūm nec scriptores alii profani; Ita enim, inquit Sallust. in Orat. 2. ad Cæsar. c. 16. ego comperi omnia regna, civitates, atque nationes usque eo imperium prosperum habuisse, dum apud eos vera consilia (non tantum, quæ ipsi regnorum moderatores, sed etiam

## 82 IDEA POLITICÆ.

eorum consiliarii, concipiunt, & formant) valuerunt: Ubi gratia, timor, voluptas ea corrupere, statim imminentia opes, deinde ademptum imperium, postremò servitus imposita est. Item Tacit. l. 4. Histor. c. 7.n.6. Nullum majus boni imperii est instrumentum, quam Consiliarius bonus: Et Tacitus lib. 12. Annal. c. 5. quamvis dicat de adjutorio uxoris, recte tamen in genere accipi potest, quando inquit: Gravissimos Principis labores, queis orbem terræ capessat, egere adminiculis.

X. Consiliarii debent esse 1. fidi seu vita probi, 2. prudentes, seu rerum hominumque ac linguarum diversarum, maximè patriæ, periti. 3. salutaria suggérentes. Quam ob causam etiam Jethro generi suo Moysi suadet *Exod. 18. 21.* ut eligat sibi ex populo adjutores seu Consiliarios, qui Deum timeant, avaritiam oderint, & in quibus sit veritas. XI.

XI. Viri igitur tantum legendi, non etiam foeminæ, adeoque nec mater nec conjunx Principis, etsi fortè in casibus extraordinariis & subitis, hæ, si sint sagaces, audiri possint. Pro monstro annotatum est in annalibus inquit *Tholosan. lib. 7. de Rep. cap. II.* quod sub solo primum Heliogabalo mater ejus Samiamurica in senatum admissa est, quam ipse & sententiam in senatu admissam rogari jussit, & in senatum mulierem eam ire permisit. Verum quam feliciter res successerit, annales testatum faciunt. Etenim confosso Heliogabolo ante omnia caverunt Romani; ne mulier unquam senatum ingredetur, utique ejus caput inferis dicaretur per quam id factum esset. *Vide Lampridium in Heliogabalo.* Similiter populus Romanus in literis, quas Hugo Planeus Cardinalis Roma in synodum Wormatiensem (in qua

qua Henricus Imperator de Hildebrando depōnendo cum 24. Episcopis consilia agitabat) attulit, vehementer conqueritur quod Hildebrandus in senatulo mulierculatum de sacratissimis religionis mysteriis pertractaret. *Vide Gesn. Tom. I. Consil. p. 454.*

XII. Decoctores rerum suarum in totum à consiliis arcendi. *Not. Lips. bīc.*

XIII. Exteri quoque & advenæ ad consilia haud temerè sunt admittiendi. *Not. Lips. bīc. Chok. lib. 3. cap. 6. Bodin. lib. 3. cap. 1. Arnis. cap. 15. Keck. de Consiliar. q. 5. Romani veteres non modo peregrinos, sed ne socios quidem ipsos in senatum admittebant.*

XIV. Falsum tamē, exteris hominibus fidere Principem nunquam debere. *Antimach. l. i. theor. 2. 3.*

XV. Juvenes ad consiliarii munus plerumque inepti. *Consilia senum. Rabi-*

Stabiliunt Rempublicam: Juvenum  
verò perdunt, ut testatur exemplum  
Robohami Regis *in lib. 2. Reg. cap. 12.*  
*& 2. Paralipom. cap. 10.* Romulus in  
consilium Reipublicæ eligebat seni-  
ores populi indeque dicti sunt pa-  
tres & senatores, qui etiam senatui  
nomen dederunt.

XVI. Ut & fortis utriusque igna-  
ti, seu fortunâ variâ non exerciti,  
*Chok. aph. Pol. lib. 3. cap. 12.*

XVII. Nec non acuti nimium,  
subtiles & callidi: quamvis mixtura  
utriusque temperamenti consiliario-  
rum minimè videatur esse con-  
menda. *Keck. Pol. lib. 1. cap. 7.* & de  
*Consiliar. q. 7.*

XVIII. Denique nimium literati,  
sive theoreticè tantum docti. Quæ  
autem doctrina & eruditio Consiliario  
sit necessaria *ex cap. 12. de do-*  
*ctrina Principis facilè colligi potest.*  
*Vid. insuper Chok. Thes. apor. Pol.*  
*lib.*

*lib. 3. cap. 7. &c. Keck. de Consiliar.  
q. 10.*

XIX. Ad quæst. An tolerabiliorsit regni status ubi Princeps bonus & consiliarii mali? cum dist. respondendum, ex Keck. lib. 1. Pol. cap. 7. & de Consiliar. q. 3. Antimach. lib. 1. theor. 1.

XX. Periculoseum est, si novus Princeps prædecessoris sui Consiliarios dimittat, iisque novos substituat. Etenim priores illi & veteres gnari sunt virium Principis, arcana rum Reipublicæ, de quibus vel ipsum Principem monere potuerunt: assidue negotiorum usu imbuti probè, & perpoliti. Quos, si Princeps res suas sibi habere jusserit, res profectò periculo vix carebit, dum decretal. Principis, & arcana Reipub. aliis patefaciunt: & talis inexpectata remotione, ac subitanea dimissio non raro vindictæ causam aliquam excitat.

Vid.

## CAPUT XI.

87

*Vid. Excellentiss. Dn. Conring. in disp.  
de Boni Consiliarii in Republ. munere,  
conclus. 42. ubi affirmat, tales remo-  
tos subitanè consiliarios infamiae  
notam aliquam apud vulgus incur-  
rere, quam vindicare conantur, ut  
ea se liberent. Qua de causa Ludo-  
vicus XI. Galliarum Rex, filio suo  
Carolo paternè persuadere voluit,  
ut in administratione nihil mutaret,  
atque antiquos familiares, amicos  
& ministros retineret. Imperator  
Commodus tam diu feliciter ac pru-  
prudenter imperavit, quām diu  
Consiliarios à Patre commendatos  
in consilium adhibuit. Vid. Zinck-  
greff. in Apophthegmat. German.*

XXI. Novi Consiliarii novum  
imperandi modum introducunt.  
Nam mutatis consiliariis, etiam vul-  
gi judicio & sententia, (quod judi-  
cium semper sperni non debet,) le-  
ges regiminis quoque mutari solent,

&amp;c

& communiter suppressio libertatis sequitur. Ex his sæpè sinistra & fœda subditorum simulatio, tōti Reipubl. pernitosissimā oritur. Quod si tamē Reipubl. ultima salus, aut consiliariorum quorundam malitia extrema remotionem juberet, omnino removendi essent, cum Salus Publica suprema lex esse debeat. *Vid. Libenth. in Coll. Pol. Exercit. II. q. 3. Reinhard. König. Theatr. Pol. c. 36. Besold, in Synopsi Polit. Gerbart. in Quæst. Pol. decad. 4. q. 7. Keckerman. in System. Polit. Chockier. I. 4. Thes. Pol. cap. 7.*

XXII. Consiliarii legendi Principi-  
bus 1. judicio 2. industriâ, quæ edu-  
cationē eorū respicit. 3. ex nota famæ  
communis, seu testimonii publici,  
quod idem de omnibus Adjutorib.  
Principis dicendum. *Antimach. lib. 1.  
theor. i Not. Lips. ad cap. 3. bujus lib.*

XXIII. Studia verò, commendationes,  
preces & ambitus paucorum

rum privatorum heic in primis sus-  
pecta esse debent. Rosin. Antiq. lib. 8,  
cap. 29.

## CAP. XII.

DE

Consiliis Officioque Princi-  
pis in audiendis Con-  
siliis.

§. I.

**C**onsiliarii, ut salutaria suggerant consilia, commendatam sibi habere debent i. Pietatem. Nam ubi divina providentia non commilitat consiliis & actibus hominum, malus iis eventus & exitus obvenit & cogitationibus valde adversus. Lacedæmonii sententiam probatissimam ab homine improbatissimo dictam repudiarunt ex consilio Ephori cuiusdam: quod crederent urbem & Rempubli-

publicam suam salvam & inexpugnabilem diutius esse non posse, si hujusmodi consiliario uteretur. 2. Libertatem. Consiliarius liberè quoque dicit, quid sibi visum fuerit. Nam si vel nolit liberè suadere, & sententiam suam dicere, vel non debeat, non dicat se Consiliarium. *Vid. Illusfr. Bæckleri Mecenas.* 3. Constantiam. Nam voluntatis mutatio, indicat animum inconstarem & fluctuantem. Et fixum & firmum non est quod vagatur. 4. Modestiam. Ili enim optimi sunt, qui specie obsequii regunt & ad omnia, quæ agenda sunt, quietâ industriâ adsunt. *Tacit. lib. 3. hist.* 5. Silentium. Taciturnitas enim rerum administrandarum optimum ac tutissimum vinculum est, teste *Val. Max. l. 2. c. 12.* Unde re-*citissimè Curtius l. 4. c. 6. n. 6.* Persæ-rem magnam sustineri non posse credunt ab eo, cui tacere grave sit, quod homi-

CAPUT XII.

91

homini facillimum voluerit esse na-  
tura; quaque ex causâ linguam gravi-  
us castigabant, quam aliud pro-  
brum. Qualem hominem suo meri-  
to nigrum vocavit Poëta Venusinus l.  
l. Ep. 18. dum canit.

-- -- -- Commiffa tacere

*Qui nequit, hic niger est.*

Opera quidem Dei revolare honorifi-  
cum est, secretum verò Regis ab-  
ſcondere, bonum, Tob. 12. 7. Itaque  
*Amorum Architectus* l. 2. de Arte A-  
mandi non sine causâ utrumque, tūm  
tacere, tūm propalare debito suo  
encomio prosequitur.

*Ex iuxta est virtus, præstare silentia  
rebus;*

*At contra gravis est culpa, tacen-  
da loqui.*

Quapropter

*Arcanum neque, tu ferutaberis ul-  
lius unquam:*

*Commifsumque teges & vino tortus  
& ira.*

E

Lex

Lex Ægyptiorū jubebat abscondi illi  
linguā, qui arcana Reipub. quæ tecta  
esse deberent, alicui detexissent.

II. Viri igitur sacri ac religiosi consiliis fructuosè interdū intersunt, sicque consiliarii Principum esse possunt, quamvis cæteroquin verum sit, quod officia Ecclesiastica & Politica nō sint confundenda. *Not. Lips. Chok. aph. Pol. lib. 3. cap. 11. Keck. de Consult. 1. cap. 15.*

III. Libertas Consiliariorum, maximè in monendo & reprehendendo, nō debet esse nimia, sed conjuncta cum 1. modestia, 2. morū jucunditate. 3. brevitate. 4. commemoratio ne virtutum Principis. 5. alienæ personæ inductione. 6. ex positione utilitatis & necessitatis παρησίας hujusce &c. *Chok. lib. 3. cap. 13. & 16. Aphor. Pol.*

IV. Nec tamen ita restricta, nihil ut Principi suadere debeant, nec ul la

CAPUT XII.

93

Ia de re cum ipso loqui, nisi de qua  
sermo ultrò ab ipso institutus fuerit.

*Antim. lib. I. th. 2.*

V. Constantia Consiliariorum non  
omnem excludit sententiæ mutatio-  
nem. Sicut medicus non semper æ-  
groto propinat medicamentum,  
quod præscriperat aut apud se con-  
cluserat: sed sæpe id pro morbi in-  
corpore mutatione mutat: Ita etiæ  
consiliario licet ad novos casus tem-  
porum novorum consiliorum ratio-  
nes accommodare, *Chok. lib. 3. cap.*  
*14. Keck. de consil. q. 8.*

VI. *Consilia*, ut sint salutaria, vi-  
tanda Consiliariis 1. Impedimenta. 2.  
Turbamenta boni consilii. *Pol. Lips.*  
*lib. 3. cap. 6.*

VII. *Impedimenta* bonæ mentis  
sunt 1. Pervicacia seu contumacia 2.  
Discordia inter consuasores. 3. Af-  
fectus, maximè ira. 4. Avaritia, quæ  
omnis improbitatis est metropolis.

E 2

De-

*Democ. apud Stobaeum. Chok. lib. 3. cap.*

*17. 18. 19.*

VIII. Non est contumax, qui aliorum sententiis liberè, sed cum fundamento, sese opponit, maximè readhuc integrâ. *Chok. lib. 3. cap. 18.*

IX. Avaritiae intuitu non improbanda videtur illorum populorum lex, quæ, teste Arist. agros hostibus limitaneos habentes ad belli gerendi consilia non admittebat. *Arist. 7. Pol. 2. & Not. Lips. b/c.*

X. Idem spectasse videtur lex Thebana, quæ eum qui decem annos commerciis non abstinuisset, à consiliis & gubernatione removebat. Quam tamen legem, ut sententiam, à consiliis Mercatores planè arcetem, haud facile approbarim. *Arist. 3. Pol. 3. Lips. in Not. b/c. Cas. Spb. Civ. lib. 3. cap. 3.*

XI. *Turbamenta.* boni consilii sunt i, Con-

1. Confidentialia. 2. Cupiditas. 3. Celeritas, *Lips. Pol. lib. 3. cap. 7.*

XII. Consilia tamen calida & audacia, in novo aliquo aut subito Reip. discrimine, non improbanda, sed utiliter saepe & necessariò adhibenda, *Not. Lips. hic.*

XIII. Celeritas, etsi consiliis plerumque inimica, actioni tamen est amica. *Chok. lib. 3. cap. 20, 21. Keck. de Conf. q. 7.*

XIV. Ut consiliarium ad dandum: sic *Consulentem* ad capiendum bonum consilium aptum esse oportet. *Lips. Pol. lib. 3. cap. 8.*

XV. Princeps consulens, ut communiter consultationibus interesse debet: sic ab illis utiliter interdum abest. *Keck. de Consil. & Consult. q. 5.*

XVI. In consiliis capiendis Principis est 1. mature deliberare. 2. non nimis lentè. 3. audire cum judicio. 4. nec sequacem nimis nec refractari-

96 IDEA POLITICA.

nam esse. 5. sententiam suam celare, cum ante consultationem, tum post eam, arteque consiliariorum sensus elicere. 6. liberos amare. 7. adulantes odisse. 8. sine discrimine audire. 9. cum Providentia divina non pugnare, si bona consilia eventu sint mala & infelicia. *bic 5 in Not. hujus cap. Chok. lib. 4. cap. 6. Keck. de consult. q. 3. 4. 6.*

XVII. Tempestiva deliberatio in Polyarchia difficultis est & rara. *Tac. in Germ.*

XVIII. Sine discrimine audieret Princeps, si bona consilia non temere præmiis, mala suppliciis afficiat. *Not. Lips. bic.*

XIX. Cavenda Principi mancipiorum aulicorum secreta consilia, in primisque videndum ne ἐπάργεσκοι (mignos) evadant. *Lips. Pol. lib. 3. cap. 9. Antimach. lib. 1. theor. 2.*

XX. Cujus tamen nota est Regi pru-

## CAPUT XIII.

97

prudentia ac probitas, eum audiat,  
sed non solum. *Not. Lips. h.c. Bodin.*  
*lib. 2. cap. 5. Keck. de Consiliar. q. 4.*

## CAP. XIII.

*DE*

### Administris itemque Le- gatis.

§. I.

**A**dministri ( alterum Adjutorum, genus ) sunt, qui publicè aut privatim Principi exhibent in functione aliqua sui usum. *Lips. Pol. lib. 3. cap. 10.*

II. *Administris Publici* sunt, qui tangent imperii aut Reip. partem; ut Præfecti, Præsides, Quæstores, Judices &c. *Privati*, qui ad Aulæ saltē usum & splendorem adhibentur; hique Aulici & Palatini rectè dicuntur.

E 4

III.

III. Administrī, maximē publicī,  
eligendi 1. à genere. 2. à vita 3. ab in-  
genio.

IV. *Genus* Administrī debet esse  
honestum, non vile (excipe eximiam  
virtutem) aut turpe. Chok. lib. 5. tbes.  
apb. Pol. cap. 2. Schonb. lib. 2. cap. 4.

V. Nobiles igitur, cæteris paribus,  
si præferantur, nil rationi fit adver-  
sum, quicquid solam virtutem mili-  
tarem heic ostentent Mahometani.  
*Not.* Lips. h̄c. Chok. lib. 5. cap. 3. Keck.  
de Confiliar. q. 6. Apud Spartanos,  
Athenienses & Corinthios usitatum  
fuit ut ex certis familiis, & quidem  
nobilibus magistratus eligerentur.

VI. *Vita* Administrī proba esto,  
non infamis aut ambigua. Virtus  
proprium ipsius esse bonum debet, si  
diu salubriter regnare velit. Omnes  
enim oculi in eum fixi: & in vitam  
ejus velut in speculum intuentes, di-  
cta simul & sancta animadverterunt.

Inde

CAPUT. XIII. 99

Inde oritur cupiditas: imitandi: inde fit, ut aut virtutes emanent, aut virtus deriventur. Multa contra eos lux est: omnium in istam conversi oculi sunt. Sen. i. de Clement. cap. 8. Et quo quis in majore rerum fastigio collocatus est, eo majorem virtuti operam dare debet: quo consilio veteres recens electo magistratui faces ardentes prætulerunt, ut cæteris virtutis & æquitatis splendore prælucere noverit. Paradinus in Symb. heroic.

*Lux publica Principis ingens.*

VII. *Ab ingenio leguntur Administrati, si 1. quisque pro indole suâ functionibus admoveatur 2. ingenia adhibeantur recta, non nimis erecta, nedum abjecta. Chok. lib. 5. cap. 1. Schonb. lib. 2. cap. 6.*

VIII. *Electio administratorum quæ à Principibus ex favore & gratia, quæ in nonnullos fœruntur, institui solet,*

E 5 cum

cum ipsi Principi, tum ipsis administris noxia s<sup>e</sup>pe fuit & damnosa. Quod idem de officiorum emtionibus & venditionibus tenendum. Rectissime. Bodinus lib. 2. de Repub. Est in omni genere civitatum turpisima ac perniciofissima honorum ac præmiorum, quæ virtuti debentur, mercatura: quanquam non minus falluntur, qui putant Magistratus, quos pretio mercati sunt, honori sibi futuros, quam si aureis alis, quas Euripides opinione sibi finxit, volare se posse putent, cum ex ea materia, quam nihil gravius esse potest, id quod levissimum esse oportuit, conflaverint. Not. Lips. hic. Antimach. lib. 1. tb. 2. Chok. lib. 5. cap. 4. Cas. lib. 2. cap. 9. Dan. lib. 5. cap. 5. Keck. Pol. lib. 1. cap. 14.

IX. Cavendum summopere Principi ne facilè plura uni alicui committat officia. Quia diversa officia à di-

CAPUT XIII. 101

diversis hominibus rectius & melius quam ab uno sustineri possunt: sicut contra unum ab uno rectius perfici potest, ut docet Philosophorum Coryphæus Aristoteles lib. 2. Polit. cap. 9. Sicut ventriculus plures & diversos cibos benè concoquere non potest, præsertim si per naturā sit imbecillus: ita etiam unus homo plura & distincta officia rectè curare & obire non potest: sed necesse habet alterum negligere si alteri, uti decet, pro viribus serio ac diligenter attendere velit. Idcirco etiam Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 4. ait: *Singulis singula munera rectè curare difficile est: plura, nemo potest.*

X. Officiorum ut alia perpetua: sic ambulatoria convenit esse alia.  
*Ch. k. lib. 5. cap. 4. Werdenh. Syn. Bodin. p. 560. Dan. lib. 5. cap. 5. dissent. Antim. lib. 3. tb. 35. p. 902.*

XI. Administrorum, maximè Au-

E 6 lico-



licorum, planè lubrica est vita; quibus proin Opus est acri circumspetione contra lapsum. *Lips. Pol. lib. 3. cap. 11. Chok. lib. 5. cap. 6. Schonb. lib. 3. cap. 33.*

XII. Minorum Administrorum contra lapsum fulcra sunt 1. Obsequium 2. sui usus 3. Audacia ingenua: *Maiores Administratos* servant 1. Modestia. 2. Quieta actio, sine jactantia. 3. Virtutum dissimulatio. 4. Relatio rerum bene gestarum ad Principem: *Utrisque autem & Majoribus & Minoribus* hīc commendata esse dobet 1. Patientia. 2. Cautela contra Insidiatores. *Not. Lips. hīc. Chok. lib. 5. cap. 5.*

XIII. Quamvis Aula fraudum sit officina communiter, ut verum sit illud, *Exeat ex aulā qui cupit esse pius, aula tamen ac vita aulica in totum non est damnanda, aut illicita homini Christiano.* Quum ratione aulæ

co-

CAPUT XIII. 103

eogitari possint Joseph, Daniel, Obadia, & Nehemia, è Scriptura Sacra noti: atque verum sit illud Senecæ, Epist. 18. *Benè vivere omni loco positum est, nam quid tam turbidum fieri potest, quam forum, ibi quoque licet quiete vivere, si necesse sit.* Scaliger Pater: *Aulam reperit qui bonam, & utilem, & fidelem,*  
*Me auctore sequatur, duce me, meque sequente:*  
*Si quis queritur, nec fugit, bujus miserebor.*

XIV. Legati partim ad Consiliarios, partim ad Administros referri possunt.

XV. Jus legationis propriè non nisi Principibus competit, participativè autē inferioribus Magistratibus, Academiis, Civitatibus Hansiaticis &c. Heid. Pol. cap. 2. pag. 460. & seq.

XVI. Rebelles veri, injustè in Principem suum insurgentes, jus lega-

ga-

gationis non habent, ut nec Prædones & Pyratæ. *Ibid. pag. 464. 466.*

XVII. In Legato eadem ferè requiruntur, quæ in Consiliario, nisi quod major Eloquentia, plurimique linguarum cognitio ei videatur necessaria. *Schonbor. Pol. lib. 3. cap. 28.*

XVIII. Munera Legatus non facile admittat, nec ultra præscriptum quicquam agat, quamvis tamen alia sit ratio legatorum liberorum, alia formulariorum. *Heid. loc. cit. pag. 521.*  
*Schonb. lib. 3. cap. 29.*

XIX. Ut Legatos violare nefas est: sic tamen poena, si quam promeriti sunt, irrogari illis poterit ubi & à quibus oportet. *Schonb. lib. 3. cap. 27.*  
*Heid. pag. 508.*

XX. Peractâ feliciter legatione præmiis à Principe Legati sunt afficiendi. *Heid. pag. 531.*

XXI. Olim Legatorum præmia erant tria: *Locus, Lautia, Munera,*  
*Loci*

## CAPUT XIII.

105

*Loc in nomine ædes liberas intelligimus,  
quæ ipsis à Romanis datæ. Lautia  
erant Xenia Legatis missa, sic dicta  
à magniscentia præbitoris. Duar.  
disput. 1. cap. 26. In muneribus erat,  
quod illis de publico dabatur aureus  
annulus, quem palam gerebant.  
Plin. lib. 35. cap. 1.*

## CAP. XIV.

DE

### Prudentia & Cura Principis circa Religionem.

#### §. I

*P*rudentia Principis Propria res est  
admodum 1. diffusa. 2. confusa.  
3. obscura : Nec mirum igitur do-  
ctrinam ejus præceptis difficulter  
alligari. Pol. Lips. lib. 4. cap. 1.

II. Prudentia hæc Principis est,  
vel Togata, quæ in quotidiana hac  
guber-

gubernatione , tranquillisque rebus intervenit, ejusque materies duplex est 1. Res Divinæ. 2. Humanæ , vel *Militaris* , quæ in bello rebusque turbatis. *Pol. Lips. lib.4. cap.2.*

III. *Prudentia rerum divinarum* sacra religionemq; tangit & dirigit, quatenus tamen Principis ea cura.

IV. Cura religionis proinde Principi habenda. 1. Quia in omni Repub. prima cura debet esse rerum divinarum , ut docet Aristoteles lib. 7. *Polit. 2.* Quia religio est primaria causa conservans Reip. imò fundatum & propugnaculum ipsius , ut testatur Plato lib.4. de Repub. Id circò etiam Machiavellus lib.1. *dissertationum Polit. cap. 12.* ait: Quicunq; Principes atquè Resp. sèmetipso conservare cupiunt , in id unum, præ cæteris incumbere debent, ut verum religionis cultum rectè instituant & venerentur : Nec certius indicium de Rei

Rei publicæ alicujus ruina & interitu unquam habere poteris, quam si in ea divinum cultum despectui habere & sperni cognoveris. 3. Quia religione vita nostra constat, ut ait Plinius lib. 14. cap. 19. Et sola religio homines à bestiis discernit, quam qui non admittit, alienus est à natura hominis, & vitam pecudum sub humana specie vivit, ut scribit Laurentius lib. 2. Instit. cap. 3. & lib. 3. de Ira Dei cap. 7. & 8.

V. Religio curanda Principi, sed non tam absolutâ in eam potestate; quam Inspectione tali, quæ comprehendit 1. cognitionem seu veritatem 2. rectionem & tuitionem veræ religionis. Vera religio est fundamentum Ecclesiæ Christianæ, quo destruto necesse est, ipsam quoque destrui. Illud igitur ne labefactetur, aut planè evertatur ab externis Ecclesiæ hostibꝫ, curandum est Principi, aut

aut cum aliis lenior modus defen-  
dendi non sufficit, necesse est, ut ad  
arma confugiat.

VI. Errant igitur, qui Principi  
judicium de Religione derogant, ei-  
que tantum defensionem ejusdem, ex  
dictamine Ecclesiasticorū, tribuunt.  
*Bell. lib. 3. de laic. cap. 17. Alsted. de  
membr. Eccles. mil. 1. cap. 14.*

VII. Ad veræ Religionis confir-  
mationem minimè opus, falsitatem,  
ut illam aut fictitia miracula appro-  
bet Princeps, Florentinus ut docet  
Politicus, cuius detestanda quoque  
porismata 1. Religio Christiana debi-  
litat Christianos, eosque injuriæ &  
prædæ opportunos reddit, Ethnico-  
corum contra. 2. Doctores Religio-  
nis Christianæ omnem bonarum literarum &  
antiquitatis memoriam  
abolere conati sunt, & sim. *Antim.*  
*lib. 2. tb. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.*

VIII. Una tantum Religio in uno  
re-

C A P U T X I V .      109

regno ut publicè obtineat Principi prospiciendum , & quidem ea cuius veritate Princeps in conscientia sua est convictus . *dissent.* *Cornb.* in def. *proe.* *de non occid.* *bær.* *passim*

IX- Possunt tamen tempora incideret in quibus secundariò diversæ religiones sine piaculo permitti queant. *Dan. Pol. Chr. lib. 3. cap. 2.*

X. Vanè nihilominus Ægyptiorum Reges variam & miscellam religionem stabiliendo sceptro induixerunt, *Diod. Sicul. lib. 2. Lips. de unarelig. hic.*

XI- Ceremoniae veteres ac ritus patrii in Religione adhibiti retinendi, fiscil. probi sint, mali autem sic mutandi, ut corrigere eos magis videamus, quam mutare. *Lips. contr. Dialog. hic.*

XII. Correctio hæc & mutatio non est privatorum , sed ipsius Principis , idque de consilio ac sententia

60-

110 IDEA POLITICA.

eorum, qui auctoritate, vita & doctrina h̄ic valent, summa verò in ea habenda est ratio Conciliorum. *Ibid.*

XIII. Ut pœnam haut merentur, qui impias leges ac ceremonias patrias non observant: sic coerceri possunt, qui pias aut adiaphoras moribus oppugnant & convellunt. *Lips. de vera relig. diff. Cornh. in defens. proc. de non occid. her. h̄ic.*

XIV. In Religionem peccantes non male dividuntur in *Turbones* & *Errones*, sive in *Publicos*, qui & ipsi male de Deo receptisque sacris sentiunt, & alios ad sentiendum perturbas impellunt, & *Privatos*, qui pariter male sentiunt, sed sibi, *Lips. hic & in lib. contr. Dialog.*

XV. *Turbones* publici ex præscripto legum puniri possunt, etiam capitali supplicio, pro delicti qualitate quamvis. *Mulctæ, Ignominiæ, Exsilio, Incarcerationis* remedia heic pri-

CAPUT XIV.      II

primitus adhibenda , ad mortem autem non nisi extrema urgente necessitate procedendum. *Pol. Lips. lib. 4. cap. 3. & contr. Dialog. differ. Cornb.*

XVI. *Errones simplices , sive hæretici qua tales , non sunt puniendi , ne dum capitaliter, Pol. Lips. lib. 4. cap. 4.*

XVII. *Sed Conscientiarum libertas ubique permittenda. Dan. lib. 8. cap. 2. Keck. lib. 5. cap. 32. dissent. Menoch. Pol. lib. 2. cap. 3. Contz. & sim.*

XVIII. *Extractio autem & Inquisitio Hispanica omnino detestanda. Valde periculosa & noxia est hujusmodi inquisitio , quatenus metu & terrore suo , quem incutit , efficit , ut subditi , qui in religione recepta dissentunt , contra conscientiam animi sui sensum dissimulent , aut ore quidem fateantur eandem religionem , sed corde negent.*

XIX. *Datur quædam combustio libre-*



librorum licita , promiscua tamen illa hæreticorum omnium , qui dici solent, est tyrannica. *Act. 19. 18. Alst. de Eccles. mil. membr. cap. 14. dissent. Menoch. pol. lib. 2. cap. 3.*

XX. Via qua errantes corrigendi doctrinæ debet esse & institutionis *bic Keck. Pol. lib. 1. cap. 32.*

XXI. Disputationes de rebus saeris & religiosis licitæ sunt, non publicæ tantum, sed & privatæ, etiam, suo modo, pueris & fœminis. *dissent. ex parte Lips. contra Dial. heic confer Kerk. Pol. lib. 1. cap. 32.*

## CAPUT. XV.

*D E*

### Prudentia Principis in rebus humanis.

*§. I.*

*P*rudentia rerum humanarum in Principe est , peritia in externis trans-

CAPUT XV.

iiij

tranquillè & firmiter gubernandi.  
Pol. Lips. lib. 4. cap. 5.

II. Peritia hæc haurienda Principi  
ex duobus fontibus, Natura scil. 1.  
Populi 2. Regni.

III. *Populus* Principi noscendus. 1.  
Suus, quia maximè necessarium,  
quid enim magis necessarium, quam  
nosce eum, cui præsumus. Hinc  
Martialis:

*Principis est virtus maxima nosse  
suos.*

2. Finitimus, quia res sæpè cum eo,  
& fœdera. 3. Universus, quoniam  
motus quidam affectusq; sunt, quos  
communiter reperiat in omni homi-  
num gente: quos nisi novit, qui ad  
eos se componat.

IV. Hæc notitia petenda. 1. à per-  
cunctione & conversatione cum  
prudentibus. 2. ab usu & peregrina-  
tione. 3. à libris, maximè Politicis  
& Historicis, qui de moribus popu-  
lorum

lorum tractant. Vid. Euphor. Icon.  
Anim. Nic. Vernulæ Orat. de peregr.  
in Ital. Hisp. Gall. Germ.

V. Physiognomia , & si illius aliquis sit usus , Principi non in totum spernendus , cautè tamen est usurpanda , quoad discretionem ingeniorum , nec nimium ei tribendum. Idem de Delatoribus , quibus subditorum aliorumque mores explorant Principes , tenendum. Me poch. Hieropol. lib.2.cap.30.§.8.9.

VI. Vulgus omne est. 1. instabile. 2. pronus in affectus. 3. judicii expers. 4. ad plures inclinans. 5. invidum. 6. suspicax. 7. credulum. 8. res augens. 9. vetita loquens. 10. seditiosum, præsertim si dux sit. 11. fervidos amans. 12. Reip. negligens. 13. verbis ferox. 14. metu aut spe nimiu. Hinc vulgus à Petro Gregorio Tolosano lib. 4. de Republ. cap. 3 & l. 22.c.2. appellatur bestia multorum capitum.

Et.

## CAPUT XV.

115

Et Cleanthes recte monet, ne à vulgi opinione pendeamus; Idque versisculis illis elegantissimis, qui à Clemente Alexandrino referuntur:

*Ne ad opinionem respice, si vis sapiens statim fieri;*

*Neg̃ time vulgi temerariam & impudentem opinionem.*

*Non enim vulgus habet prudens judicium neg̃ justum,*

*Neg̃ honestum. Paucos vero apud viros hoc sanè inveneris.*

In quam sententiam etiam intelligendum est Symbolum illud & adagium Pythagoricum, Popularibus viis ne incedito. Item, per publicam viam ne ambulato. Plura de natura & moribus vulgi vide apud Richterum axiom. Polit. 339, 340, 341, 375.

VII. Regnum noscendum Principi communiter. 2. distincte. Pol. Lips. lib. 4. cap. 6.

VIII. Communiter, quod sit 1. insta-

F  
bile.



bile. 2. odiosum. 3. insidiis obnoxium. 4. eoque Reges gignens meticolosos, suspicaces, æmulos. *Distincte*  
 1. quantum sit Regnum proprium. 2. quale. novum ne an vetus? hæreditarium an electitium? legibus an vi  
 quæsitum? &c. *Menoch. Hierop. lib. 2. cap. 30. §. 1. Cas. Spb. Civ. lib. 3. cap. 2.*

**IX.** Ex notitia naturæ Vulgi & Regni profluit peritia 1. adhibenda ea, quæ Regnum juvant & firmant, ut sunt Vis & Virtus 2. declinandi ea, quæ illud lædunt & evertunt, ut Vis & Vitium. *Pol. Lips lib. 4. cap. 7.*

**X.** *Vis* (ut causam notat conservantem imperii) est, præsidium quod Princeps utiliter adhibet ad secundum aut regnum.

**XI.** *Vis* duplex est 1. Milites qui vel Custodes sunt Regii vel ordinarii, 2. Munimenta, suntque vel Arces, vel Cæloniæ. *Bodin. lib. 5. cap. 5. Tholos.*

CAPUT XV. 117

los. lib. 2. cap. 1. 2. & seq. Keck. Pol. lib.  
1. cap. 22. & disp. 32. q. 7. Schonb. lib. 4.  
cap. 10. 12. 13. Menoch. lib. 3. cap. 6. §. 3.  
Ad. Contz. lib. 8. cap. 22. 23.

XII. Ut milites Ordinarii ; sic &  
custodes Regii semper , etiam tempo-  
re pacis , Principi sunt necessarij.

XIII. Etsi Princeps optimè sibi  
consulat , eligendo custodes sui cor-  
poris ex inquilihinis , utiliter tamen &  
peregrini heic à Principibus multis  
adhibentur. Keck. Pol. lib. 1. cap. 23. &  
disp. 34. q. 5. diss. Buchan. lib. 18. hist.  
Scot.

XIV. Arces non in finibus tan-  
tum habent usum , sed etiam in me-  
diterreis , ubi operæ est pretium ur-  
bes aliquot probè munitas habere.  
Keck. Pol. lib. 1. cap. 22. & auct. an-  
te cit. diss. videtur. Lips. hic & Gentil.  
Ant. lib. 3. th. 73.

XV. Colonizæ adhibendæ i. circum-  
spectè , non temerè 2. in exteris tan-

F 2

tum

## 118 IDEA POLITICÆ.

tum 3. in feroceſ & recenſ ſubjectoſ ,  
nec haſ oppugnat. Gentil. Antim. lib. 3,  
th. 3.

XVI. Arcenſne an coloniæ præfe-  
rendæ ? Vulgata & celebris eſt hæc  
quæſtio , quæ inter Politicos in u-  
tramque partem ventilatur. Vid. præ-  
ter. cit. aut. Mach. lib. 2. diſcurſ. cap.  
24. Bodin. lib. 5. cap. 5. de Re-  
publ.

XVII. Virtus ( altera & quidem  
præcipua , cauſa conſervans imperii )  
laudabilem hic notat utilemque im-  
perio affectum de Rege vel in Regem.  
Et que 1. Benevolentia. 2. Auctoritas,  
Pol. Lips. lib. 4. cap. 8.

XVIII. Benevolentia eſt subditorum in Regem ejusque statum prom-  
ta inclinatio & amor. Schonb. lib. 2.  
cap. 36.

XIX. Benevolentia Principi pa-  
randa viâ 1. lenitatis , cum in ſe , tum  
in imperio. 2. beneficentia ſeu libe-  
ralita-

## CAPUT XVI. 119

ralitatis, idque maximè in novo imperio, & erga eos, qui benè sunt meriti, aut mereri possunt. 3. indulgentia, quâ populus laxè habetur & jucundè.

XX. Cum populus laxè habeatur, in victu, per Annonæ vilitatem, jucundè, in ludicris, per ludos & spectacula publica; illi studendum in primis erit Principi, hæc autem adhibenda suis locis, sed salvis moribus honestis & mediocritate decen-  
ti. Ad. Contzen. Pol. lib. 7. cap. 27. Cas.  
Spb. Civ. lib. 5. cap. 8. Spec. mor. quæst.  
lib. 4. cap. 8. Schonb. lib. 4. cap. 29. G  
lib. 2. cap. 28. Chock. lib. 5. cap. 20.

## CAP. XVI.

DE

### Auctoritate Principis.

§. I

Auctoritas, quæ Græcè dicitur  
modo σεμνότης, modo δόξα, mo-  
do

F;

do αξιωμα, modo ανθετια, modo κυριος της δεκτης, est impressa subditis, sive etiam exteris, opinio reverens de Rege ejusque statu, ex Admiratione constans & Metu. *Lips. Pol. lib. 4. cap. 9.*

II. Hac se Princeps à rebellione & contemptu in primis vindicat, ideoque necessario hac ei paranda. Quamvis gentibus quibusdam erga Reges suos sit ingenita. *Schonb lib. 2. cap. 36.* Sine autoritate Princeps subditos suos in officio continere non potest, neque cum fructu praesse Republicæ, sive pacis sive belli tempore. Quia ut Curtius lib. 8. scribit, *majestas imperii salus & tutela est.* Et ut Lipsius ait lib. 2 Polit. cap. 6. *majestas & autoritas Principis est acre celum ad imperium.*

III. Autoritas magis retinet homines in officio, quam arma & supplicia. Ideoque illa Principem Deus armata

armavit, tanquam Gorgone. Et hoc etiam significare voluerunt Poetæ, quando fabulantur, quod in scuto Palladis Gorgon caput Medusæ pictum fuerit: quodque eo objecto Perseus homines in saxa converterit. Tanta est vis autoritatis Principi impressæ, ut non tantum in bonorum animis admirationem & amorem sui excitet: sed etiam malis tantum metum incutiat, ut non audeant manum immittere in Principem cumque violare. Hinc Pharaō Rex Ægypti nunquam ausus fuit manum iniciere Moysi divina autoritate armato. Hinc legimus lictorem vel satellitem juvenem armatum delegatum ad occidendum Marium Consulem proscriptum apud Minturnenses in carcere decrepitum & inermem, non tamens ausum fuisse illum ferire, veluti occulta quadam maiestate Marii prohibitum. Itaque non immerito

*adamantium vinculum Imperiorum*  
dicitur.

IV. Amissam Principis autoritatem sequitur mutatio imperiorum : Hinc Monarchia prima à Sardanapalo tranferebatur in Chaldæos : cum Sardanapalus Rex contemneretur à subditis propter mollitiem & vitam in gynæceo inter mulieres consumptam.

V. Media parandi eam sunt 1. forma imperii. 2. potentia imperii. 3. mores Imperantis.

VI. *Forma imperii* exigit gubernationem. 1. severam. 2. constantem. 3. adstrictam.

VII. Severitas 1. tempestiva esse debet. 2. cum intermissione adhibenda. 3. sic ut poena ad paucos, metus ad omnes perveniat , nisi scil. vitia nimis sint crebra & pervicacia. *Tholos.* lib. 23. cap. 9. §. 15. & seq.

VIII. Constantia gubernationis  
ut

ut levem; sic non excludit necessariam & utilem legum & Morum pris-  
corum mutationem, suscep tam scil.  
1. leniter. 2. lentè *Bod. lib. 4. cap. 4.*  
*Tboloſ. lib. 10. cap. 5. Schonb. lib. 3. cap*  
9. confer. *Dan. lib. 3. cap. 6.*

IX. Adstricta est imperii forma, si  
præcipua vis & honos sint 1. ab ipso  
Principe. 2. apud ipsum Principem.

X. Ab ipso Principe hæc sunt, si  
maxima rerum aut agat ipse aut fir-  
met, non autem à senatu totus de-  
pendeat, nec iis aut aliis officia ac  
dignitates distribuendi potestatem  
concedat. *Bod. lib. 1. cap. 10. Keck. disp.*  
31. q. 3.

XI. Apud Principem sunt 1. si al-  
teri honores magnos, nimosq; non-  
conferat, ad quos etiam referimus ul-  
timam provocationem. 2. si non per-  
petuos, plerosque saltem, nec uni fa-  
miliæ hæreditarios. *Cas. lib. 2. cap. 9.*  
confer. *Dan. lib. 6. cap. 5. Arn. Clapm. de*  
*arc. Rorump. lib. 1. cap. 19.*

XII. Honores nimios alteri concessos auferre debet Princeps , sed vellicatim , deducendo non detrahendo. *Chok. lib.2. cap. 9.*

XIII. Potentia imperij est, ad Sua conservanda & Alienā obtinenda idonearum rerum facultas, *Cic. 2. de Juvent.*

XIV. Paratur 1. Pecuniâ. 2. Armis. 3. Consiliis. 4. Fœderibus. 5. Felicitate imperandi (alii fortuna...) *Ad. Contz. lib.8. 10t. Chok. lib.2. cap.11. Schonb. lib. 4. cap. 34. Antim. lib. 2. 1b. 10.*

XV. Divitiæ & opes à Principe acquiri debent, *modis honestis* , ut sunt 1. honesti & onerosi subditis, e.g. Tributa. 2. honesti & non onerosi, ex. gr. Bona Oeconomia. 3. honesti & utiles, ex. gr. Leges sumptuariæ, Mercatura , Agricultura, Metallifodinæ &c. *non in honestis aut fodiendis*, ut sunt furtum, foenus illicitum, oppres-

CAPUT XVI. 125

oppressiones, vectigalurinarium Vespasiani &c. Ad. Contzen Pol. lib. 8.  
cap. 6. & seqq. Menoch. lib. 3. cap. 17.

XVI. Non solum opes & divitiae  
Principis ad potentiam imperii ejus  
faciunt, sed & subditorum, qui pro-  
inde in egestate & paupertate non  
sunt detinendi, ut docet Mach. lib. 1.  
Comm. cap. 12. lib. 13. cap. 16. confer.  
Antim. lib. 30. lib. 32. Keck. lib. 1. Pol.  
cap. 10. disp. 30 q. 9.

XVII. Fœdera cum impiis & infi-  
delibus non facilè ineunda christi-  
anis. Chok. lib. 2. cap. 11. Menoch. lib.  
2. cap. 4. Schonb. lib. 4. cap. 36. Deus  
fœdera cum impiis inita per Prophe-  
tas suos improbat tanquam sibi in-  
visa. Ejusmodi fœdera subditis oc-  
casionem præbent ad idololatriam,  
confederatorum, quibus cum con-  
versantur, amplectendam & sectan-  
dam. Idecirco recte ait Æschylus:  
*In omni negotio, nullum est prava so-  
cietas maius malum.*

XVIII.



XIIX. Initia autem ac jurejurando confirmata neutiquam violanda.  
*Schonb. lib. 4. cap. 37. Chok. lib. 2. cap. 12.*

XIX. Cum afflictis admodum sunt periculosa & cautè declinanda.  
*Chok. lib. 2. cap. 11.*

XX. Vicinis duobus potentibus inter se certantibus , si & vincere & vinci Principi periculosem , quid agendum ? In adiaphoria ne ac Neutralitate hærendum , an fortiori accedendum ? Principis prudentis est , rationem Status aliasque circumstantias exactè & accuratè perpendere : nam expedit Neutralem potius manere , quam belli motibus sese implicare , quo Rempublicam suam salvam retinere queat . *Vid. D. Besold. d. fœder. jur. cap. ultim. num. 1. 3. Addat. Waremund. d. Ehrenberg. de fœder. cap 2. num. 212. pag. 267. lib. 1. D. Reinking. de Regim. secul. & Ecclesiast. lib. 2.*

## CAPUT XVI.

127

lib. 2. class. 3. cap. 3. n. 39. Job. Wilhelms  
newmäjer von der Neutralität und  
Assistents, Remig. Fesch. de fæder. th. 12.  
lit. e. circ. fin. Philipp. Hænon. disput.  
polit. ult. th. ult. l. r. A.

XXI. Si tamen necessario alter-  
utri accedendum, prudentiæ erit,  
in causa palam dispari, meliori: in  
ambiguâ, fortiori se jungere. Chok.  
l. cit.

XXII. Mores Imperantis requi-  
runtur ad auctoritatem, 1. interni, ut  
virtutes. 2. externi, ut gestus sermo-  
que compositi & graves, habitatio in  
loco splendido, secessio modica, dia-  
dema, corona, pompa aulæ &c.  
Chok. lib. 2. cap. 9. Schonb. lib. 2.  
cap. 27.

## CAPUT



## CAPUT. XVII.

DE

Prudentia Principis circa  
causas evertentes Princi-  
patus.

## §. I.

**U**T *Vis & Virtus* imperium fir-  
mant: sic *Vis & Vitium* illud pro-  
xime evertunt. *Lips. Pol. lib. 4.  
cap. 10.*

II. Conversio Imperiorum etsi  
sæpe trahat secum eorundem eversi-  
onem, Conversio tamen hæc & Ever-  
sio non sunt confundenda. *Schonb.  
lib. 7. cap. 21.*

III. *Suprema* eversionum imperi-  
orum *causa* est Providentia Divina,  
quæ singulis imperiis certa tempo-  
rum intervalla certasque periodos  
præstituit. *Keck, Pol. lib. 1. cap. 27. &  
diss. 36.*

CAPUT XVII.

129

*disp. 35. q. 1. Schonb. lib. 7. cap. 1. 24.  
Cas. lib. 5. cap. 12. Dan. lib. 3. cap. 5.  
Chok. lib. 6. cap. 13.*

IV. Quamvis autem pauca imperia ultra annum 500. 700. durant, non tamen dicendū, hos annos imperiis omnino fatales esse. *Ibid.* & *Dan. lib. 3. cap. 2. 5. diss. Peuc. de div. gen. p. 30. & seqq. Vid. & *Bodin. lib. 4 cap. 2. Chok. lib. 6. cap. 1.**

V. Sententia Platonis eversiones Imperiorum Numeris adscribens obscura est & falsa: ut etiam illa Neotericorum quorundam, quæ Motui terræ ejusque revolutioni eas adjudicat. *Keck. disp. 35. q. 3. & aut. cit. Schonb. lib. 7. cap. 25.*

VI. Cœlum licet efficacissimè agat in corpus humānum, Astra tamen, Eclipses, Cometæ, Planetæ non nisi impropriè causæ efficientes mutationum harum dicuntur, *Diss. videtur. Keck. Pol. lib. 1. cap. 27.*

VII.

VII. Signa tamen & indicia mag-  
narum mutationum quin propriè vo-  
centur nil prohibet; quod & de I-  
nundationibus, Terræ motibus, In-  
cendiis, Sterilitatibus, Fame, Peste  
similibusque rebus dicendum. Bodin.  
lib. 4. cap. 2. Chok. lib. 6. cap. 13. Schonb.  
lib. 7. cap. 25.

VIII. Talia insuper sunt Idola-  
tria, Blasphemia, Injustitia, Impu-  
nitas delictorum, Tyrannis, Intem-  
perantia, Libido, Perjurium, Fastus  
similiaque Principum aut Subdito-  
rum enormia vitia, quæ causis quo-  
que mutationum proximis anume-  
rari possunt. Keck. Pol. lib. 1. cap. 27  
Schonb. lib. 7. cap. 2. 3. 4. 7. 8. 9. 10.  
Dan. lib. 3. cap. 5. Chok. lib. 6. cap. 2. 3  
4. 13.

IX. Vis est duplex. 1. Aperta, ut  
Factio, Seditio, Bellum. 2 Clancula-  
ria, ut Insidiæ, Proditio. Schonb. lib.  
7. cap. 3. 11. 12. 13. 17. Chok. lib. 6. cap. 1.  
Mart.

## CAPUT XVII.

131

*Mart. Schoockius in lib. de Seditionibus.*

X. *Vis clancularia* est molitio occulta unius pluriumve, in Regem aut in Regnum. *Keck. Pol. lib. 1. cap. 28. Dan. lib. 3. cap. 5. Chok. lib. 6. cap. 7.*

XI. *Insidia* caput propriè Regis petunt: *Proditio loca ejus, copias, arces. Schonb. lib. 7. cap. 19. Chok. lib. 6. cap. 7. 8.*

XII. *Insidiarum* remedia sunt. 1. *Indagatio. 2. Punitio. 3. Innocentia. 4. Preces. Schonb. lib. 7. cap. 14. 19. 20. Item. lib. 6. cap. 9. 11.*

XIII. Utile est Principi habere speculatoros (*κατασκόπους*) sive auricularios (*ωτανυστίς*) iisque præmia inderum justè decernit, quibus tamen cautè credendum & lente, ne innoxii circumveniantur. *Keck. Pol. lib. 1. cap. 7. Menoch. lib. 2. cap. 30. §. 9. Chok. lib. 6. cap. 9.*

XIV.

XIV. Magnum & salutare subsidium Reipublicæ afferunt exploratores, quoties vel intestina seditio vel improvisa externi hostis invasio metuitur. Jus civile lege Papia delatoribus præmia constituit, nempe dimidium mulctæ. Plato in Repub. sua exploratores esse jubet.

XV. Insidiatores comperti & convicti sic puniendi, ut morâ interdum aut veniâ ultioni interponantur. Schonb. lib. 7. cap. 18. Chok. lib. 6. cap. 9.

XVI. In Proditionem maximè inclinant. 1. Avari. 2. Leves. 3. Dissimilatores & occulti. Schonb. lib. 7. cap. 16. Chok. lib. 6. cap. 7-8.

XVII. Proditiones cavendæ. 1. Indagatione. 2. Punitio. Chok. lib. 6. cap. 9.

XIX. Inquisitio alia est Mitior, per argutas & acutas quæstiones, alia Durior, per torturas, quarum illa-

pri-

CAPUT XVII. 133

præferenda, hæc autem non nisi raro  
& valde circumspectè adhibenda.  
Keck. Pol. lib. 1. cap. 18.

XIX. Proditores certò convicti  
puniendi. 1. celeriter. 2. semper. 3.  
graviter. Cas. Spb. civ. lib. 3. cap. 16.  
etiam pro re nata proditorum filii.  
lib. 1. cap. 1.

XX. Quod si autem unius alicui de-  
linquentium impunitatem delicti  
promiserit Princeps, ut reliquos  
conjuratos prodat, videtur pactum  
illud servandum esse Principi, sicque  
verum illud, Proditores præmiis in-  
terdum afficiendi. Schonb. lib. 7.  
cap. 16. Vid. §. 14.

XXI. Quod si Principis consan-  
guinei & affines heic peccent, sunt  
ne pari jure cum cæteris habendi &  
mox extinguendi? Neg. hoc ex Bad.  
Chok. lib. 6. cap. 4.

CAPUT

## CAPUT XVIII.

DE

Vitio sive altera causa ever-  
tente Principatum.

§. I.

**V**itium est pravus noxiusque im-  
perio affectus , de Rege vel in  
Regem: Proindeque est i. Odium ,  
quod affectus in Regem. 2. Contem-  
ptus , qui opinio de Rege. *Pol. Lips.*  
*lib.4. cap.ii.*

II. *Odium* est subditorum in Re-  
gem ejusque statum malevolentia  
pertinax & offensa. *Chok. lib.6.*  
*cap.5.*

III. Odii remedia sunt i. fuga  
Vitiorum , ut Sævitiae , Avaritiæ,  
Rigoris. 2. Moderamen opinionis  
vitiorum , ut Supplicorum,Tributo-  
rum, Censuræ, *Chok. ibid.*

IV. *Sup.*

CAPUT XVIII. 135

IV. *Supplicia ordinaria* ab odio  
munit Princeps 1. Tarditate. 2. Boni  
Publici velo. 3. Exclusione iræ. 4.  
Gaudii. 5. Observatione morum  
patriorum. 6. Sui subductione. 7.  
Æqualitate pœnæ, obtinendâ secun-  
dum proportionem Geometricam,  
quæ mitius punit pueros, quam se-  
nes, mulieres quam viros &c. Schonb.  
lib. 3. cap. 20. Ad. Contz. lib. 3. cap. 16. §.  
23. & seq.

V. *Supplicia extraordinaria*,  
mollienda 1. punitione simultanea.  
2. beneficiorum commixtione. 3. sup-  
plicio ministrorum, Ibid.

VI. *Tributa* (quò etiam referi-  
mus *Vectigalia*, quamvis hæc ab illis  
distingui possint) lenienda fomento.  
1. Necessitatis. 2. Moderationis. 3.  
Coerctionis avaritiæ & crudelitatis  
ministrorum. 4. Dispensationis re-  
strictæ & utilis. 5. Æqualitatis justæ  
& uniformis. Chok. lib. 2. cap. 10.  
Schonb.

136 IDEA POLITICA.

Schonb. lib. 4. cap. 19. 20. & sim. Ad.  
Contz. lib. 8. cap. 7. Antim. lib. 3.  
th. 32.

VII. Hæc æqualitas obtinetur.

1. Proportione Geometrica , quâ  
plus divites solvunt quâm pauperes.  
2, in specie per censum. Ibid.

VIII. Tributorum censores le-  
gendi. 1. à populo. 2. Bini aut terni  
in singulis civitatibus. 3. qui annuos  
instituant census. Chok. lib. 2. cap. 10.  
Schonb. lib. 4. cap. 28. Keck. disp. 34.  
q. 10.

IX. In vectigalium pensione in-  
quibusdam subditorum , in quibus-  
dam exterorum meliorem esse con-  
ditionem nil prohibet, Keck. disp. 34

q. 9.

X. Non tantum Tributa, sed &  
Collectæ cum Imperiales tum Pro-  
vinciales à Principe possunt indici,  
Observatis cautionibus in Tributis  
attendendis. Schonb. lib. 4. cap. 24.

XI. Mo-

CAPUT XVIII.

137

XI. Monetæ insuper à Pr incipe summa est habenda ratio, nequid hīc peccetur. *Keck. Pol. lib. 1. cap. 21.*  
*& disp. 31. q. 20. Menoch. lib. 2. cap. 10.*  
*Schonb. lib. 4. cap. 30.*

XII. *Censura* est animadversio in mores aut luxus eos, qui legibus non arcentur; quæ, sicuti sit collapsus, bono Principi necessariò est revocanda. *Keck. lib. 1. cap. 19. Schonb. lib. 3. cap. 10.*

XIII. Materia ejus sunt, 1. Mores, e. gr. lasciviæ, libidines, earumque fomenta, saltationes mixtæ, ebrietates, jurgia, perjuria, otium &c.  
2. Luxus in Divitiis, Domo, Conviviis, Vestibus. *Chok. l. cit. Schonb. lib. 1. cap. 10. v. 14. 17. Cas. lib. 2. cap. 7 Keck. lib. 1. cap. 10. disp. 30. q. 11. 12. Ad. Contz. lib. 8. cap. 14. Menoch. lib. 2. cap. 25.*

XIV. Moribus in specie impingunt 1. Decoctores & foro cedentes, 2. Fœneratores publici, 3. Lupanariorū

orum patroni 4. Validi Mendicantes. 5. Cingari &c. Schonb. lib. 3. 12, 13. 15. 16. Et cit. auth.

XV. Usuræ non simpliciter lege divina & humana prohibentur, sed tantum secundum quid, quatenas sunt immoderaæ & injustæ. De quibus ceteram loquitur Poeta Hesiodus l. 1. operum & dierum cum fratrem suum Persam hoc modo hortatur.

Μὴ κακὰ περδαίνειν· κακὰ κέρδεσθαι  
τοῦ ἀντοιου

*Nemale lucreris; mala lucra equa-  
lia damnis.*

XVI. Lupanaria iram & vindictam Dei gravissimam provocant, adversus Rempub, eique ruinam & interitum accelerant, ut testantur non tantum florentissima Sodomæ & Gomorrhæ regna, quæ igne piceo & sulphureo conflagrarent è cœlo misso, funditusque destructa fuerunt;

Sed

CAPUT XVIII. 139

Sed etiam universale totius mundi  
primævi diluvium. Occasione illo-  
rum mens hominis è sua sede dimo-  
vetur : quod fatetur ille apud Plau-  
tum in *Truc.*

-- -- nam mihi hæc meretrix,  
*Quæ hic habet Phronesum suum no-*  
*men, omnem*

*Epectore evomit meo phrenesin.*

Censum facultatesque exhauriunt :  
quod itidem apud eund, Plaut. d. lo-  
co conqueritur quædam ;

-- -- Meretrix meum herum  
Miserum sua blanditia intulit in  
Pauperiem , privavit bonis , luce ,  
honore atque amicis.

Et Apulejus lib. 10. de Af. aur. Mere-  
tricum illa in Lupanari jactata basi-  
ola vocat poscinummia : Quid vero  
aliud in ista palæstra , ubi damnis de-  
sudascitur, expectandum ?

*Stat meretrix certo cuivis merca-  
bilis ære ,*

G

E:

*Et miseras jussō corpore quarit  
opes.*

Ovid. *i. amor. 10.* nec fundum habet  
hoc hominum genus ; quicquid in-  
eas contuleris ; nunquam enim sati-  
abile plura concupiscendi lenitur  
desiderium.

*Meretricum ego esse reor mare, ut  
est,*

*Quod des devorat, nec unquam a-  
bundat.*

Plaut. *in Truc. Schonb. lib. 3. cap. 13.*

XVII. Mendici otiosi & vagi sunt  
perniosi sibi & toti Reipublicæ; dum  
tempus otiando & vagando miserè  
perdunt ; & instar fucorum circa al-  
vearia volitantium , aliorum domos  
perrepant, stipemque ab aliis impor-  
tunè & imprudenter extorquent. In  
civitate, in qua multi mendici con-  
spiciuntur, multi quoque reperiun-  
tur fures , crumenarum sectores , sa-  
cilegi , aliorumque scelerum artifi-  
ces.

CAPUT XVIII. 141

ces, Lex Platonis est : *Nemo nostra in civitate mendicus esto : quisquis id tentaverit & miserabilibus precibus stipem victimumque collegerit eum praefecti è foro, & aediles tota urbe agrorum praefecti tota regione exterminent.* lib. 2.  
De legibus.

XVIII. Zigari vulgo *Zigeum* nihil aliud sunt quam manipulus furum & colluvies otiosorum ac fraudulentorum hominum, ex variis nationibus non ita remotis, sed vicinis collecta, ut Camerarius eos describit cent. 1. med. hist. cap. 17. Vanis futurorum praesagiis alios homines ludunt pecunisque emungunt. Spoliis & rapinis aliorum inhiant: ideoque non raro in agris locisque desertis homines obvios per vim adoriantur. Sæpe sunt exploratores & proditores illius terræ, in qua vagantur.

XIX. Iudæi sunt inquieti. Data occasione maximos tumultus excitant.

G 2

tant.

tant. Anno Christi 114. in Cyrene Romanorum & Græcorum ducenta & viginti millia, plus quam ferina rabię confecerūt; in Cypro ducenta & quadraginta; in Mesopotamia & Ægypto tumultuati sunt, donec optimus Trajanus iis occurseret, innumerablem multitudinē Judæorum exscindens & legem ferens; ut Judæo in Cyprum venire capitale foret. *Dio. Xiphilin. Niceph.* Hadriano Imperatore Imperium eripere tentarunt, sed cum Duce suo Bencosbā 300000. periere. A Cosroë Persarum Regē 80000. Christianos emtos interemere. *Cedren.* Anno Chr. 414. Alexandria in Ægypto multos Christianos trucidarunt. A. C. 1240. Francofurti ob Judæum, qui inyitis parentibus & Judæis voluit baptizari, tantus tumultus excitatus, ut 180. Judæi ense & igne à Judæis excitato perierint & magna urbis pars in cineres redacta. Praga Anno Christi 1288. Christianum

## CAPUT XVIII. 143

num cruci affixerunt , templum-  
diruerunt. *Crantz. Vandal. lib. 7. c.*  
*40. lib. 8. c. 8. A. C. 1322.* Judæi in Gal-  
lia leprosos pecunia corruperunt , ut  
aquam inficerent. Anno Christi 1332.  
Überlingæ ad lacum Brigantinum  
Christianum alutarii filium interfici-  
endo tantas turbas dederunt , ut 300.  
cremati sint, Anno Chr. 1348. puteos  
in Germania veneno corruperunt;  
Anno Christi 1475. Tridenti puerum  
Christianum in crucem egerunt. *An-*  
*nal. Suevic.* Præterea judæi non tan-  
tum sunt jurati hostes religionis  
Christianæ ; sed etiam immodicis su-  
is usuris quantū possunt Christianos  
exugunt : & quæ bona hi in Republi-  
ca percipere debebant , illi per fas &  
nefas præripiunt. Tolerari possunt  
in Repub. si secundum jus in ea usita-  
tum tranquillè & sine dato Christiano-  
rum scandalio vivant , nihilq; mo-  
lliantur , quod in Reipublicæ præjudi-  
cium & detrimentum cedere possit.

G 3

XX.

**XX.** Divitias in immensū accumulare prout quisq; vult & potest, minime in Republica debet esse licitum.  
*Cas. lib. 2. cap. 5.*

**XXI.** Vestis promiscua viris & fœminis non indulgenda. 1. Quia vestium simis partim est honestas, partim utilitas. Quæcunque igitur vestes cum his finibus pugnant, sunt illicitæ: cujusmodi sunt, quæ sunt vel dishonestæ & indecoræ, vel ineptæ & inutiles ad tegendum & fovendum corpus, vel alioquin aut luxum aut lasciviam, aut levitatem arguunt. 2. Quia turpe est temerè recedere à patro vestiendi more & alienigenarum vestitum imitari. 3. Quia non eadem vestimenta convenientia cuilibet ætati, sexui, statui & ordini hominum. Hinc Deus ipse in Veteri Testamento voluit Prophetas & Sacerdotes alias gestare vestes, quam plebejos homines. *Num. 15. v. 38.* Et expresse prohibuit, ne mulier utatur ueste virili,  
 ne-

CAPUT XVIII. 145

neque vir muliebri. *Deuteronom. 22.*  
v. 5. 4. Quia Apostoli mulieribus  
Christianis interdixerunt usum pre-  
tiosarum vestium , superfluumque  
crinium ornatum ex auro & gemmis  
1. *Pet. 3. vers. 3. 1. Tim. 2.*

XXII. Arma Censorum morum  
sunt 1. Ignominia. 2. Multa. 1. cit.

XXIII. Censuræ invidia miti-  
ganda. 1. vitâ Principis, si ipse subsit  
censuræ. 2. modestia emendationis.  
3. præmiorum divisione, *Ibid.*

XXIV. *Contemptus est impressa sub-*  
*ditis, sive etiam exteris, vilis abjectaq;*  
*opinio de Rege ejusq; statu. Pol. Lips.*  
*lib. 4. cap. 12*

XXV. Contemptum Princeps  
cavet , cavendo , quantum possibile  
ejus causas , quales sunt. 1. Imperi-  
um justo levius & lenius. 2. fortuna  
adversa , maximè orbitas. 3. mores li-  
bidinosi , luxuriosi , &c. 4. res exter-  
næ , ut facies parum decora , actas  
gravior , valetudo imbecillior , &c.  
*Chok. lib. 6. cap. 6.* G 4 CAP.

## CAPUT XIX.

DE

Fraudibus : An cum Prudentia Principis consistant.

## §. I.

**D**ura est *καταχρησις*, quando *Fraus* Prudentiae nomenclaturā venit ; Prudentia enim ut licita & laudabilis : sic *fraus* illicita est & cavena, maximè Principi. *diff. Lips. Pol. lib. 4. cap. 13.*

II. Quod si tamen per fraudem solertiam quis indigetet, qua salva fide & justitiæ legibus, in adversarium agimus, quam dolum bonum. *ICti* vocant, de voce non magnoperere litigamus, nec omnes illicitas dicimus. *Antim. lib. 3. tb. 12. Cas. lib. 4. cap.*

cap. 13. Arn. Clapm. de arc. Rerump.  
lib. 1. cap. 5.

III. Non sequitur, vivunt Principes inter argutos, malos, eosque qui ex fraude, fallaciis, mendaciis constare toti videntur: E. ipsi tales esse possunt aut debent: sed sequitur, E. extremè cautos eos esse & prudentes oportet. Tomf. Vind. Verit. p. 22. Chok. lib. 2. cap. 13. Antim. lib. 3. tb. 27.

IV. Reipub. usus publicus ac salus, ut & finis bonus, consuetudo & sim. rem per se malam non efficiunt bonam Thomf. p. 24. Dan. lib. 3. cap. 4. Chok. lib. 2. 14. Antim. lib. 3. tb. 21.

V. Ab honesto non tantum prorsus (in totum) non est discedendum, sed plane nullo modo discedendum. Thomf. l. pag. 27.

VI. Nulla sequela 1. Vinum, Vinum esse non definit, si aquâ leviter temperatum. E. nec Prudentia, Prudentia, si guttulae in ea fraudis. z.

Matres & Medici teneræ ætati fucum faciunt; E. & Princeps fraude circumvenire potest subditos, aut vicinum aliquem Dynastam. *Thomſ. p. 28. Grot. de Iur. Belli lib. 3. cap. 1. §. 12.*

VII. Basilius per astutiam honestam & laudabilem (*πανεγίαν επαετίων*) non intelligit fraudem, sed solertiam animi licitam ad se tendum & alios *Thomſ. pag. 30.*

VIII. *Fraus* melius describitur per consilium callidum, malitiosum ac improbum, contra virtutem & leges bonosque mores, quam per consilium argutum à virtute aut legibus devium, Regis Regniq; bono:quamvis & sic descripta *fraus* sit illicita. *diss. Lips. Pol. lib. 4. cap. 14.*

IX. *Fraus* rectius *Magna*, *Major*, *Maxima* dicitur, quam *Levis*, *Media*, *Magna*; quarum illa *Dissidentiam* & *Dissimulationem* *Vitiosam*, ista *Consiliationem* & *Deceptionem*.

nem, hæc Perfidiam & Injustitiam complectitur. *Thomf.* p. 34.

X. Datur *Difffidentia* & *Dissimulatio* quædam honesta & utilis Principi, sed adhibenda circumspectè, ne trāsluceat, & ne sit nimia. *Chok.* lib. 6. cap. 10. *Grot.* de *Iur. bell.* lib. 3. cap. 1. §. 7. *Tholos.* lib. 22. cap. 21. *Keck.* lib. 1. cap. 3. *Clap.* de *arc.* *Rerump.* lib. 1. cap. 7.

XI. Dictum Friderici aut Sigismundi, *Nescit regnare, qui nescit dissimulare*, de dissimulatione fraudulosa acceptum atro, de virtuosa albo carbone notandum, *Keck.* *disp.* 29. q. 10.

XII. *Conciliatio* seu *Corruptio*, quâ callidè, persuasionem aut dona, inclinas & allicis ad te eorum animos operasque qui alieni juris, quomodo cum ingenuitate consistet Christiana? aut cum ipsius Ciceronis principiis? *Thomf.* pag. 36. confer

*Grot. de jur. bell. lib. 3. cap. 1. §. 21. 22.  
Schonb. lib. 6. cap. 28.*

XIII. *Deceptio*, quâ inducis alium in tua commoda, errore aut mendacio objecto, ut à veteribus perperam fuit approbata: sic à recentioribus pravè toleratur. *Thomf. p. 40. Grot. l.cit. §. 9. 10. Antim. lib. 3. th. 18.*

XIV. Quod per Divinam Sapientiam omittendum, per Humanam Prudentiam non est committendum: Et quod Deus faciendum præcepit aut mittendum, de eo malè dubitamus, sit ne faciendum aut omittendum. *Thomf. p. 42. 45.*

XV. Inconsequens est, Medicamentis laudabilibus venena miscemus: E. & veris falsa. *Thom. p. 43.*

XVI. Si Corruptiunculæ & Deceptioniunculæ culpâ non carent ac vicio, quomodo à Rege pio usurpari poterunt, aut à Politico probō permitti? *Thomf. p. 46.*

XVII. *Perfidiam & Injustitiam* ne-  
mo nisi perfidus & injustus laudave-  
rit; ac neutra, ne leviter quidem,  
aut in ultima necessitate adhibenda.  
*Dan. lib. 3. cap. 3. Antim. lib. 3. th. 12.*  
*18. 21. diff. videatur Lips. hic. confer.*  
*Thomf. p. 55.*

XVIII. *Impiæ est vocis* 1. *Pueros*  
*talis circumvenire oportet, viros ju-*  
*ramentis.* 2. *Non cessabitis nobis*  
*gladio accinctis leges prædicare &c.*  
*Grot. de Jur. bell. lib. 3. cap. 1. §. 19.*  
*Dan. lib. 3. cap. 4.*

XIX. *Non semper est injustum.*  
1. *Nocentes clam tollere.* 2. *Prive-*  
*gia subditorum constringere.* 3. *Alien-*  
*nas urbes occupare.* *Grot. lib. 2. cap.*  
*2. §. 10. lib. 3. cap. 1. §. 2. Dan. lib. 3.*  
*cap. 4.*

XX. *Ostracismus justè usurpari a-*  
*liquando poterit.* *Antim. lib. 3. th. 16.*  
*Cas. lib. 1. præter cit. aut. Vide Diff.*  
*meam de Ostracismo.*

CAP.

## CAPUT. XX.

DE

Prudentia Militari in gene-  
re, & modo rectè suscipien-  
di Bellum.

## §. I.

**P**rudentia Militaris dogmatica &  
Pianoëtica in Scholis acquiri po-  
test, ideoque rectè de Bello præce-  
pta tradit Politicus. *Lipf. Pol. lib. 1.*  
*cap. 1.*

II. Prudentia Militaris tam est  
necessaria Principi, ut sine ea vix  
Princeps; utque ab ea Patriæ, liber-  
tatis, civium ipsiusque Principis de-  
pendeat salus. *Lipf. Pol. lib. 5. cap. 2.*

III. *Bellum* in sua natura injustum  
& malum non est dicendum, aut  
contrarium Legi Naturæ, Gentium,  
Civili, Evangelio: Ideoque cum o-  
mni-

mnibus, tum etiam Christianis bel-  
lum, modò sit justum, gerere licet.  
*Grot. de Jur. Bell. lib. 1. cap. 2. § 1. &*  
*seqq. Schonb. lib. 6. cap. 1. Dan. lib. 7.*  
*cap. 3.* Bellum gerere per se & simpli-  
citer non est peccatum teste Ambro-  
sio serm. 7 cum ait. *Non militare de-*  
*lictum est, sed propter prædam militare*  
*peccatum est.*

IV. Quamvis verum sit illud So-  
lonis: *Iniqua Pax justissimo bello*  
*anteferenda. Pace non modo ea, qui-*  
*bis Natura sensum dedit: sed etiam*  
*tecta & agri lætari videntur: contra*  
*autem bello contristari. Hinc Poë-*  
*ta Silius canit lib. II.*

-- -- -- -- *Pax optima rerum*  
*Quas homini novisse datum est: Pax*  
*una triumphis*  
*In numeris potior: Pax custodire*  
*salutem,*  
*Et cives æquare potens.*

Cum quo consentit illud Virgilii:  
Nulla

*Nulla salus Bello, Pacem te posci-  
mus omnes.*

*Pax facit, ut in puleris Deorum aris  
boum partes & lanigerarum pecudum  
rutilæ flamme mandentur: Pax fa-  
cit, ut Gymnasia, juvenes & tibias ac  
convivia curent. Baechylides apud  
Stob. serm 53. Pax nuptias, festa, co-  
gnatos, liberos, amicos, divitias, sa-  
nitatem, annonam, voluptatem con-  
fert. Hec omnia si deficiant, univer-  
sim vitæ periit viventium. Philemon.  
in Pyrrho apud Stob. serm. 53.*

*In pace bos tutus rura perambulat,  
Nutrit rura Ceres, almaque Fau-  
stitas,*

*Pacatum volitant per mare navitæ,  
Culpari metuit fides.*

*Nullis polluitur casta domus stupris,  
Lex & jus maculosum edomuit ne-  
fas:*

*Laudantur simili prole puerperæ:  
Culpā pæna premit comes.*

Horat.

Horat. lib. 4. Camin. Od. 5.

*Alit colonum pax vel in petris benè:  
At bellum in ipsis campis est quoque  
noxium.*

Menand. apud Stob. serm. 53.

*Pax Cererem nutrit: Pacis alumna  
Ceres.*

Ovid. I. Fast.

V. Bellum est 1. *Externum*, quod  
vit notat & arma in Principem au-  
populum alienum. 2. *Internum Polit.*  
lib. 5. cap. 3.

VI. Externum Bellum ut sit pro-  
sperum, rectè 1. suscipiendum, 2. ge-  
rendum. 3. finiendum. W. Heid. cap.  
6. pag. 631.

VII. *In suscipiendo bello cayenda*,  
1. Injustitia, 2. Temeritas, Schonb. lib.  
6. cap. 2.

VIII. *Injustitia cavetur si jura bel-*  
*li sanctè observentur: Quibus re-*  
*pugnant improbae hæc voces.* 1. Bel-  
lum justum est quibus necessarium:  
& pia arma quibus nulla nisi in ar-  
mis

156 IDEA POLITICÆ.

mis spes est. 2. Queritur belli exitus,  
non causa. 3. Acies victum factura  
nocenrem est. *Antim. lib. 3. th. 1.*

IX. *Injusta bella sunt, quorum  
causæ sunt. 1. Ambitio. 2. Avaritia.  
3. Ira & Odium. 4. Causæ leviculæ.  
Onos. Strat. cap. 4. Grot. de Jur. bell.  
lib. 2. cap. 22. Schonb. lib. 6. cap. 1.*

X. Christianis non est licita inter-  
flectio alterius ad arcendam alapam,  
aut contumeliam similem, aut ne fu-  
giantur. *Grot. de Jur. Bell. lib. 2. c. 1. §. 10.*

XI. Matrimonium negatum in  
magna foeminarū copia, non est justa  
belli causa: *Grot. ibid. cap. 22. §. 7.* ut  
nec titulus universalis imperii §. 13.

XII. *Bellum justum requirit. 1. Au-  
ctorem. 2. Causam. 3. Finem justum.  
Lips. Pol. lib. 5. cap. 4.*

XIII. *Auctor belli justi debet esse  
Princeps, non privatus. Grot. de Jur.  
bell. lib. 1. cap. 3. §. 5. cap. 4. §. 2. cap. 5.  
§. 1. lib. 3. cap. 3. §. 4. Bodin. lib. 1. cap.  
10. Tholos. lib. 9. cap. 1. lib. 11. cap. 1.*

XIV.

XIV. Potest tamen aliquando in subditis Inferior Magistratus, si Superior officium negligat, bellum jure suscipere & gerere. *Grot. ibid. §. 7.*  
*& seqq. ut & cit. aut.*

XV. Causa belli justa est. 1. *Defensio*, eaque tum Propria, cum se, patriam, suos; tum Alienam; cum Socios aut oppressos armis Princeps tegit. 2. *Invasio*, cum 1. injuria vindicanda. 2. propria jure gentium repetenda. *Grot. lib. 2. cap. 1. §. 1. & seqq. cap. 20. §. 38. 39. 44. cap. 21. 22. 23. 25. Onos. strat. cap. 4. Tolos. lib. 11. cap. 1. Alth. lib. 7. cap. 29. Schonb. lib. 6. cap. 3.*

XVI. Quamvis sola gentis alicujus infidelitas sufficiens belli causa non sit, quatenus tamen barbara est & violenta, coercionis, repressionis, & emendationis ergo invadi potest. *confer. Grot. lib. 2. cap. 20. §. 48. & seqq. Keck. lib. 1. cap. 4. Cas. lib. 1. cap. 5.*

XVII. Invasioni præmittenda *Clarificatio* sive *Diffidatio*, per fecialem  
 aut

aut literas, cunctaque media paci inservientia. Grot. de Jur. bell. lib. 3. cap. 3. §. 5. & seq. Tolosan. l. cit. Deut. 2. 10. Jud. 11. 14. Vide Gell. lib. 16. cap. 4. Schonb. lib. 6. cap. 10.

XVIII. *Finis belli non debet esse..*  
1. Ultio propria, 2. Gloria, 3. Imperium; sed Quies & Pax. Ita bellum suscipiendum, ut nihil aliud quam *Pax quæsita videatur*. Cicero 1. offic. seu quod idem ait ibidem, *ut sine injuria in pace vivatur.*

XIX. Nec enim *Pacem insidiousam*, cuius sub nomine latitat bellum, intelligimus Cicer. 12. Philipp. & quæ tan-tum est *pactio servitutis*. Zosymus in vitâ Arcadii & Honorii; sed honestam & tolerabilem, in quâ salva Religio, salva Libertas, salvæ Leges, salva omnia aut certè pleraque & publica & privata subditorum bona, quæ animi, quæ corporis, quæ fortunarum.

XX. Temeritas cavitur, si, oblatâ bonâ belli causâ, non nisi post seriam longamque deliberationem de belli initio, medio, fine, sumtibus necessariis, auxiliis &c. ad illud accedas.  
*Lips. Pol. lib. 5. cap. 5. Grot. de Jur. bell. lib. 2. cap. 24. Veget. lib. 3. cap. 3. Thos. lib. 11. cap. 2.*

XXI. Spernendæ proinde belli furiæ, quales plerumque. 1. Nobiles. 2. Feroce& Turbidi. 3. Peregrini & Exsules,

## CAP. XXI.

## DE

Belli gerendi requisitis, in specie de Dilectu Militum.

## S. I.

**A**D bellum gerendum necessaria. 1. Apparatus. 2. Viri. 3. Consilia.  
*Pol. Lips. lib. 5. cap. 6.*

II. Ut autem bellum bene appa-  
re-

## 160 IDEA POLITICÆ.

retur, necesse est ut primò omnium  
piis precibus Dei Opt: Max: auxili-  
um & præsidium imploretur: quip-  
pe à quo omnis belli fortuna & vi-  
ctoria pendet. Equus paratur ad bel-  
lum, sed victoria in manu Domini,  
*Proverb. 21. 31.* Nec enim Benjamitæ  
saltem, sed & complures alii sine Dei  
invocatione nimiâ causæ bonæ fidu-  
ciâ bella suscipientes pessum iverunt,  
*lib. Judicum cap. 20. 35.* David contra  
invocato Dei nomine bella gerere  
solet. *1. Sam. 23. 2.* Sic & Romani, te-  
ste Livio *lib. 31.* bellum auspicaturi  
supplicationes ad Deorum pulvina-  
ria instituere soliti erant. Vid. Mart.  
Schoockium de Arcan. *lib. II. cap. 2.*

III. *Apparatus* notat res necessa-  
rias ac usum omnem belli; veluti Pe-  
cuniam, Commeatum. Arma; de-  
quibus cogitandum Principi ante  
ipsum bellum. *Schonb. lib. 6. cap. 8.*

IV. *Pecunia* est nervus omnis Im-  
perii

perii. Mucianus apud Dionem in  
Vespasiano: Sed maximè tamen belli.  
Cæsar lib. 2. Belli Pharsalici. Diony-  
sius lib. 33. Appianus lib. 4. Opus est  
opibus, & sine iis nihil fiet, quod est o-  
pus. Demosthen. Olynth. I. Nec quid-  
quam est, quod nummis non venale sit.  
Aristotel. lib. 2. Rhetor. cap. 16. Abs-  
que pecuniis itaque bella non magis  
gerere, quam sine pedibus incedere,  
sine pennis volare, sine navigiis ma-  
re trajicere possumus. Quamvis ve-  
rò non auro, sed ferro cedatur hostis.  
Plutarch. in Solon. & Polyb. lib. 6.  
tamen hoc ipsum, nisi pecuniæ sup-  
petant, fieri non potest. Bellum enim  
non in armis maximè, sed in expensis  
sumtibus, per quæ efficacia arma, &  
utilia fiunt, suum est. Thuc. lib. I Et  
pleraque res belli consilio & pecunia-  
rum vi conficiuntur. Thucyd. lib. 2.  
Vid. Lips. lib. 5. polit. cap. 6. Melch.  
Iun. part. 2. qu. polit. 74. Arnisæ lib. 1.  
polis.

polit. cap. 16. pag. 369. Schonb. lib. 6.  
cap. 6. Onos. Strat. cap. 4. Tholof. lib.  
11. cap. 2. Keck. lib. 1. cap. 30. Richt.  
axiom. polit. 225. Casp. Fac axiom. bell.  
48. Casm. cap. 39. vit. polit. Dissent.  
Machiavell. lib. 2. Repub cap. 10.

V. *Commeatus* sive *Annona* pa-  
randa in usum 1. Militum. 2. Præsidi-  
orum. Schonb. lib. 6. cap. 7. Onos.  
Strat. cap. 6. Tolof. lib. 11. cap. 3.

VI. *Armamentarium* Principis  
continere debet 1. Peditum equitum-  
que arma & tela, numero definita. 2.  
Pulverem, Machinas, Tormenta ma-  
jora. 3. Naves ac instrumenta nauti-  
ca. Schonb. lib. 6. cap. 9.

VII. *Viri armatam* designant,  
multitudinem, continentum 1. Mili-  
tes, cum Pedites, tum Equites 2. Du-  
ces, quibus omnibus accedunt 1. va-  
rii officiarii militares, ut Quæstores,  
Annonæ præfecti, Metatores, Ar-  
chiatri, Scribæ, lictores &c. 2. Om-  
nis

CAPUT XXI.

163

nis generis opifices, calones, lixæ &c.  
*Lipf. Pol. lib. 5. cap. 7. Keck. lib. 1. cap. 30.*

VIII. Ut Pedite in universo bello; sic in pugna & irruptionibus Equites præferendi: utque in montosis & inviis major est utilitas peditum: sic equitum in planis locis & expeditis.  
*Schonb. lib. 6. cap. 15. Keck. lib. 1. cap. 30. Cas. lib. 4. cap. 13. Veget. lib. 2. cap. 2.*

IX. In Militibus non tam multitudo, quam bonitas & peritia militaris spectanda.  
*Lipf. Pol. lib. 5. cap. 8. Schonb. lib. 6. cap. 16.*

X. Bonos Milites reddit 1. Dilectus 2. Disciplina, quæ neglecta hodie militiam nostram corruptissimam reddunt.

XI. *Dilectus Principis innuit eorum qui armis idonei sunt cum iudicio electionem, idque (quantum fieri potest) è suis.*  
*Lipf. Pol. lib. 5. cap. 9. Schonb. lib. 6. cap. 2. Keck. lib. 1. cap. 30.*

H

XII,

XII. Domesticus proin miles et si præferendus , extraneus tamen non omnino improbandus , quamvis videndum ne præcipuam exercitus partem peregrini constituant . Schonb. lib. 6. cap. 15. Tolos. lib. II. cap. 3.

XIII. Ut autem domesticum habere Militem possit Princeps , subditos ad armorum tractationem assuefacere debet , etiam tempore pacis . Keck. lib. I. cap. 29. Tolos. lib. 23, cap. 9. Cas. lib. 2. cap. 5, Dan. lib. 7. cap. 2.

XIV. Non sequitur Gens gentem præcedit in bello, E. melius , spretis domesticis, Mercenarios conduci è pugnaci aliqua gente : nec periculum , quod à subditorum armis Principi posset suboriri , sufficiens est causa cur in totum arma ipsis sint deneganda , cum remedia dentur huic malo opposita. Vid. auct. cit. & Lips. Pol. lib. 5. cap. 10.

XV. Iudicium quo milites legendi respicit 1. Personas scribendas.  
2. Modum, sive Qui & Quando? Lips.  
Pol. lib. 5. cap. 11.

XVI. Milites domestici scribendi 1. Ordinarii, qui assiduè. 2. Subsidarii, qui rarenter, tempore necessitatis militent, quibus annumetamus Voluntarios, quamvis dissentire videri posset Lips. lib. 4. cap. 7.

XVII. Ordinarii & pacis & belli tempore necessarii, sed in pace. 1. haud multi alendi 2. nec unà habendi. Subsidarii pacis tempore artibus privatis vivere debent, & legendi à Paganis magis quam Oppidanis, quā tamen Equites, quærendi nobiles & divites. Keck. lib. 1. cap. 30. Althus lib. 1. cap. 28.

XVIII. Modus quo miles legendus est 1. rejicere ignavos. 2. capere strenuos. Lips. Pol. lib. 5. cap. 12.

XIX. Notæ ad quas bonus legendus

dus miles sunt. 1. Patria asperior & montosa. 2. Ætas juvenilis & vegeta, non senilis & decrepita. 3. Corpus compactum, non laxum, mediocre, non pingue. 4. Animus fortis & gloriæ avidus. 5. Vita honesta. Schenb. lib. 6. cap. 12. Keck. lib. 1. cap. 30. Bodin. cap. 5. meth. hist.

XX. Proinde non immerito reprehenditur mos hodiernus conscribendi milites, quando nimirum ad strepitum tympani promiscuè & confusè in militiam cooptantur omnes, qui nomen suum profitentur, non habita ratione qualitatum, quæ in bonis militibus requiruntur. Unde etiam fit, ut sæpe ii in numerum militum assumantur, qui sunt mancipia vitiorum, & purgamenta suarū urbium, quorumque lingua vana est, manus rapacissimæ, gula in mensa, pedes fugaces, denique omnis honestatis & pietatis sunt hostes capitales.

XXI.

XXI. Ad dilectum ut non nisi i-donei peritique admovendi: sic re-petitio ejus crebra adhibenda. *Veget.* lib. 1. cap. 3.

XXII. Milites dilecti & con-scripti juramentosive sacramento mi-litari auctorandi sunt. *Schonb.* lib. 6. cap. 13. *Keck.* lib. 1. cap. 30.

CAP. XXII.

DE

Disciplina Militari & Bello-rum Ducibus.

§. I.

**D**isciplina Militaris summa est & u-tilitas & necessitas, quin ipso Di-lectu major, *Pol. Lips.* lib. 5. cap. 13.

II. Disciplinam militarem in bello esse necessariam patet ex sequentibus rationibus. 1. Quia est conformatio vera militis ad robur & virtutem. 2.

H 3

Quia

Quia est præcipuum decus & stabili-  
mentum imperii militaris. 3. Quia  
est optimum medium continendi  
milites in officio. 4. Quia ex ejus si-  
nu omnes triumphi manant. 5. Quia  
sine eo nihil prodest delectus mili-  
tum: quippe quæ sola milites bonos  
per delectum inventos servat, meli-  
oresque efficit.

III. Neglecta à priscis Romanis,  
in plurimis saltē, repetenda. Schenb.  
lib. 6 cap. 29.

IV. *Disciplina Militaris*, in sua  
latitudine, notat, conformationem  
militis ad robur & virtutem, obti-  
nendam scil. per 1. Exercitium. 2. Or-  
dinem, 3. Coercitionem. 4. Exempla.

V. *Exercitium* est electi militis  
assidua ad Arma assuefactio & ad O-  
pus. Keck. lib. 1 cap. 29. Tolof. lib. II.  
cap. 3. Althus. cap. 28

VI. *Exercitium Armorum* pro-  
movent 1. Simulatæ inter commili-  
tones

tones pugnæ. 2. Præmiola strenuis proposita: *Operis*, docet Tyronem assiduè laborare, decurrere, fossam ducere & sim. quo nomine laudandi in primis milites Mathematicæ gnari. *Schonb. lib. 6. cap. 5.*

VII. *Ordo* exigit 1. digestionem copiarum per legiones, (hodie Regimina) cohortes, &c. 2. æqualem incessum 3. stationem uniformem. 4. divisionem contuberniorum, &c. *Schonb. lib. 6. cap. 16. Onof. Strat. cap. 6. Keck. lib. 1. cap. 30.*

VIII. *Coerctio* mores frenat militum, maximè 1. Incontinentiam in Cibo & Venere. 2. Immodestiam in Verbis, Vestibus, Factis. 3. Violentiam & Rapinas 4. Seditionem, Apostasiam &c. *Keck. lib. 1. cap. 30. Tolos. lib. 11. cap. 9.*

IX. Scorta ac mulieres focariæ in bello haud ferendæ, nec ordinariè mulieres militare debent. *Schonb.*

H 4 lib.

*lib. 6. cap. 17. Keck. lib. 1. cap. 30. Dan.  
lib. 7. cap. 15. Cas. lib. 2. cap. 4.*

X. Quod si tamen extrema necessitas id postulet, aut etiam quædam heroinæ reperiantur, quæ natura aptæ ad bellum gerendum factæ sint iis extraordinariè posse concedi. Historiæ testantur multas fuisse fortes & militares fœminas, quæ in bello præclarè sese gesserunt ac Republicæ plurimum profuerunt, ut Debora *Iud. 4.* Tomyris *Herod. l. 1.* Semiramis *Justin. l. 1.* Artemisia *Herod. l. 8.* Zenobia *Trebellius Pollio.* Amazones *Justin. l. 2.* Diodorus Siculus *lib. 3. c. 4.* Curtius *l. 5.* Exempla plura vide apud *Plut.* in libello de claris mulieribus.

XI. Milites in præliis non auro, argento, & gemmis, sed armis pulchre debent esse ornati. *Schonb. lib. 6. cap. 16. Keck. lib. 1. cap. 30.*

XII. Ante omnia, verò viden-dum

dum Imperatori, ne unquam exercitium educat, nisi Deo Opt. Max. (Numini Divino) reconciliatum. *Onof. Strat. cap. 5. Tolos. lib. II. cap. 3. Iud. 20. 2. Sam. 5. 2. Chron. 20. Psal. 20.*

XIII. *Exempla sive Præmia & Pœnæ ad militam virtutem mirificè conducunt.*

XIV. *Præmia* sunt vel *Ordinaria*, ut *stipendia*, quæ omnibus tempestivè solvenda, vel *Extraordinaria*, ut *Promotiones*, *Honores*, *Opes*, *Privilegia*, quæ non nisi bene meritis tribuenda, & sæpe ob insigne aliquod factum. *Schonb. lib. 6. cap. 30. 31.*

XV. Filii occurrentium in bello pro patria justissimè pro re nata exercario publico aluntur. *Cas. lib. 2. cap. 6.*

XVI. *Pœnæ in militia severè omnino exigendæ*, maximè in *Deserentes*, *Turbatores* &c. *Schonb. lib. 6.*

*cap. 29. confer. Grot. de Jur. bell. lib. 2.*

*cap. 20.*

XVII. Iustè punire interdum possunt, qui hostibus res necessarias subministrant et si ipsi hostes nec sint, nec dici velint, *Grot. de Jur. bell. lib. 3. cap. 1. §. 5.*

XVIII. Duce m belli esse necessarium, id patet ex sequentibus rationibus. 1. Quia dux belli est caput exercitus. Ideoquè sicut corpus humanum sine capite est truncus iners & inutilis : ita exercitus sine duce est multitudo hominum vaga & inordinata. 2. Quia penes ducem est sumnum belli regimen: sine quo non minus exercitus consistere potest, ac corpus humanum sine anima, aut spiritu vitali 3. Quia quod in navi est gubernator, in curru auriga, in cho-ro præcentor, in civitate Magistratus: id est dux belli in exercitu.

XIX. *Duces sunt i. Primarii, qui summae*

summæ rei imperant suisque auspiciis  
 & ductu rem gerunt. 2. *Secundarii*, qui  
 imperantis nutu imperant, quique  
 variis nominibus insigniuntur. *Lips.*  
*Pol lib. 5. cap. 14.*

XX. *Supremi Duces*, qui Prin-  
 cipes, non minoribus debent inter-  
 esse præliis, sed iis in quibus Imperii  
 salus in discrimine versatur. *Schonb.*  
*lib. 6. cap. 22. Keck. lib. 1. cap. 31. Tolos. lib. 11.*  
*cap. 4. Bodin. lib. 5. cap. 5. Dan. lib. 7. cap.*  
 4. *Princeps & Dux* belli in exercitu  
 veluti numen quoddam seu Deus ter-  
 renus est, ex quo milites spiritus vi-  
 dentur capere fortis. Idcirkò Mace-  
 dones contra Illyricos & Thraces  
 pugnatari etiam infantem Regem su-  
 um in prælium tulerunt ad animan-  
 dum milites.

XXI. Uni bello plures minores  
 duces præfici possunt, sic tamen ut  
 imperii summa penes sit unum, in-

H 6 quo

quo & virtus spectanda & peritia,  
Sed utra magis? *Probl. Kek. lib. 1. cap.*

*30. Cof. & sim.*

**XXII.** *Requisita boni Duceis sunt*  
primariò 1. Fortitudo bellica , ut ap-  
tus sit ad res arduas & priculosas ani-  
mosè & intrepide aggrediendum , o-  
mniaque molesta & adversa patien-  
ter sustinendum. Melior enim est ex-  
ercitus cervorum duce leone ; quam  
leonus duce cervo : Et fortis red-  
duntur milites , cum duces suos for-  
tes conspiciunt 2. Sedulitas , ut sin-  
gulas sui officii partes diligenter exe-  
quatur: propterea quod publica vide-  
atur injuria , si ipsius incuria & cul-  
pa aliquod in bello eveniat. 3. Vig-  
ilantia , ut hostium consilia eò meli-  
us explorare possit. 4 Severitas , ut  
omnes legum militarium transgres-  
sores debitissimis modis puniat. Sine se-  
veritate enim tumultuosè ac pertur-  
bante omnia fiunt. & non tantū disci-  
plina

plina militaris enervatur: sed etiam  
authoritas ducis imminuitur & res  
hostium augentur. Cavendum tamen  
est in ipsa severitate exercenda ne  
quid fiat nimis. Parum enim fidos  
nimis acerbi duces inveniunt mili-  
tes. 5. Taciturnitas, ut occultet sua  
consilia eaq; nec voce, nec vultu, nec  
alio modo detegat. Nulla enim sunt  
meliora consilia, quam quæ ignoravit  
adversarius, antequam fierent, *Ve-*  
*get. lib. 3.* Et tutissimum creditur in-  
expeditionibus facienda nesciri. I-  
deoque laudatur Mauritius Saxonæ  
Elector, quod dixerit, *Ne pileum qui-*  
*dem suum se retenturum, si noſſet arca-*  
*na illum sua ſcire.* 6. Continentia &  
temperantia, ne à voluptatibus cor-  
poris, præsertim quæ circa victum &  
venerem versantur, ſuperetur. Non  
enim potest exercitum is continere  
Imperator, qui ſe ipsum non conti-  
net: neque meditari & agere potest  
fortia, qui voluptates admittit. *Lipſ.*  
*Pol.*

*Pol. lib. 5. cap. 15. Schonb. lib. 6. cap. 11.*

*Onof. Strat. cap. 1. Keck. lib. 1. cap. 30.*

*Tolos. lib. 11. cap. 4.*

XXIII. Duce*m* belli oportet,  
quoque esse eloquentem & facun-  
dum. 1. Quia sine eloquentia non po-  
test Dux belli militum animos mo-  
vere & inflammare ad fortiter pug-  
nandum: neque in officio exercitum  
continere. 2. Quia victoria quam-  
dux belli armis consequitur, partem  
milites sibi vendicant: quæ autem  
verbis obtinetur, ad solam ipsius  
gloriam pertinet. Idcirkò etiam Phi-  
lippus Macedonum Rex magis glori-  
ari est solitus, si quam verbis victori-  
am adeptus esset, quam armis: quod  
hujus partem sibi milites vendicare  
existimaret: illam verò ad suā ipsius  
laudem pertinere. 3. Qui dicendi fa-  
cultate olim floruerunt quique du-  
ces belli præstantissimi, cujusmodi  
fuerunt Iulius Cæsar, Alexander-

Ma-

Magnus, Epaminondas, de quo dicitur, quod lingua prius, quam armis hostes vicerit. Item Pyrrhi legatus Cyneas, de quo ipse Rex fassus est, plures ipsum urbes eloquentia, quam armis occupasse.

**XXIV.** Eligendi igitur, cæteris paribus, 1. Illustres præ obscuris. Splendor familiæ plurimum confert ad comparandam & conservandam authoritatem, quæ in duce belli requiritur. Parit amorem & benevolentiam apud milites. 2. Indigenæ præ peregrinis. Peregrini magis stipendiis & præmiis conducuntur: Secum adducunt suæ nationis homines, qui indigenis non secus ac locustæ segeti damnum inferunt. 3. Senes præ juvenibus. Major est authoritas in senibus quam in juvenibus.

**XXV.** Cæteris paribus, senem, potius, quam juvenem belli duces esse eligendum: sed si in juvene plura

ra virtutum ornamenta, quam in se-  
ne conspiciantur, illum huic esse  
præferendum. Sæpe res magnæ &  
præclaræ in bello à juvenibus gestæ  
sunt, ut testantur exempla Publii  
Scipionis Africani, Alexandri M.  
Hannibal, Augusti Cæsaris & ali-  
orum,

## CAPUT XXIII.

DE

Consiliis Bellicis & Strata-  
gematis.

§. I.

**T**ertium belli gerendi requisitum,  
ac instrumentum necessarium  
sunt *Consilia Bellica*. 1. Recta. 2. Obli-  
qua. *Pol. Lips.* lib. 5, cap. 1.

II. Opus igitur in bello Senatu  
militari, Consiliariis & Adsestoribus  
Saga-

Sagatis, in quibus eadem penè spe-  
ctanda, quæ in Consiliariis Togatis,  
sic ut peccetur 1. ubi neglectis doti-  
bus internis & externis, saltem nobi-  
litatis, amicitiæ ac cognitionis habe-  
tur ratio, 2. ubi Senatus bellicus ali-  
quot dierum interstitio à ducibus ac  
exercitu abest. *Heid. cap. 5. pag. 732.* &  
*seqq. Onof. Strat. cap. 30. Keck. lib. 1.*  
*cap. 30.*

III. *Consilia Recta* sunt, quæ pla-  
nam ac militarem viam ineunt.  
*Schonb. lib. 6. cap. 26.*

IV. Præcepta hîc tenenda hæc si-  
miliaque: Occasionis summa haben-  
da ratio, Famæ serviendum, sed cau-  
té, Securitas fugienda, ac Contemp-  
tus hostis. Sæpe & contemptus hostis  
cruentum certamen edidit, & in cly-  
ti populi regesque perlevi momen-  
to victi sunt. *Liv. lib. 21.* Male id cessit  
Xerxi, Antigono, & in universum o-  
mnibus, qui nimium audaces hosti-  
de-

debitam detraxerunt laudem. *Spi-*  
*neus lib. 2. de trang. animi.* Quin potius  
 qualitas illius ad amissim investiganda est. Nihil tuto in hoste despici-  
 tur , quem spreveris, valentiorum  
 negligentia facies. *Curt. lib. 6. Schonb.*  
*lib. 6. cap. 18. Heid. cap. 5. pag. 740. 751.*

V. Inquirendum in omnia, Qui,  
 Quales , Quanti sint hostes eorum-  
 que Dux. *Heid. cap. 5. pag. 751.*

VI. *Excubiae* diligenter sunt con-  
 stituendæ ac subinde visitandæ Prin-  
 cipi, summaque ratio habenda *Tes-*  
*sera Militaris*, quæ unico verbo tutissimè concipitur. *Keck. lib. 1. cap. 30.*  
*Schonb. lib. 6. cap. 20.*

VII. Ut raro pugnandum sic  
 pugnæ copia facienda cum res tuæ in  
 arcto , aut pars tua palam potior.  
*Menoch. lib. 3. cap. 15. §. 3. Heid. cap. 5.*  
*pag. 739. 742.*

VIII. *Prodigia* cœli terræque non  
 omnino spernenda nec ipsa sœpe  
 somnia

somnia Keck lib. 1. cap. 31. Heid. cap. 5. p. 751.

IX. *Loci ratio haud negligenda*  
ex. gr. equitatu valeas campos: si pe-  
dite, loca angusta, paludosa arbori-  
fera felige. 2. à munimentis ad loca  
in quibus necessario pugnandum mi-  
litem abducito. Schonb. lib. 6. cap. 19. 22.

X. Ut interdum præstat hostem-  
foris adoriri. sic interdum domi.  
Keck. disþ. 35. q. 13. Menoch. lib. 3. cap.  
15. §. 4. Heid. cap. 5. p. 736.

XI. *Acies sic disponenda* 1. Ut E-  
quites primum, Ignavi medium, Pe-  
dites ultimum occupent locum.. 2.  
Ex lectissimis in subsidiis nonnulli  
serventur. 3. Per gentes nationesque  
dispositio fiat. 4. Exteri & Mercenarii  
proximi obijciant discrimini. Veget.  
lib. 3. cap. 17. Tolos. lib. 11. cap. 3. Heid.  
cap. 3. p. 766.

XII. In tempore autem acies in-  
struenda, & quidem antequam hostis,  
quin

quin hostibus superveniendum imparatis h. e. prudentibus, lassis, ac nihil tale suspicantibus, idque tempore nocturno. Keck. lib. 1. cap. 31. Heid. cap. 5. pag. 752. Menoch. lib. 3. cap. 15. §. 2. Veget. lib. 3. cap. 18. 22.

XIII. Dux ante & in pugna debet 1. Confidens esse & latus. 2. Suos hortari & excitare. Schonb. lib. 6. cap. 22. Keck. lib. 1. cap. 31. Heid. cap. 5. p. 765. 771.

XIV. Dux inclinante acie suos sistere, manu voceque ad praelium retrahere tenetur: Vincente eadem non nimis pertinaciter insistet hosti fugienti, sed viam ei muniens. Schonb. lib. 6. cap. 24. 25. Menoch. lib. 3. cap. 15. §. 6. Heid. cap. 5. p. 749.

XV. Praeda militibus non indulgenda nisi plena victoria. Onof. Strat. cap. 6. Bod. lib. 5. cap. 5. Schonb. lib. 6. cap. 25.

XVI. Consilia Obliqua sive Strategemata

gemata sunt, quæ occultam ineunt viam, dolique, sed boni semitâ grassantur. *Lipf. Pol. lib. 5. cap. 17.*

XVII. Stratagemata licita sunt, quatenus salvâ fide & dignitate adhibentur. Ipse Deus uti mandavit. *Ios. 8. v. 2. 2. Sam. 5. v. 23.* Et ipsa naturalis ratio suadet, ut iis tanquam medio utamur. Et quis non intelligit astu & calliditate hostes superare, multò tutius esse, quam multa sanguinis profusione, civitatum eversione, regionum denique vastatione? Nec ad justitiam interest, cum justum bellum suscepis, utrum apertâ pugnâ, an insidiis viceris. *Schonb. lib. 6. cap. 28. 29. Keck. lib. 1. cap. 30. Menoch. lib. 3. cap. 13. §. 2. Heid. cap. 5. p. 754. Ames-Cas. Consc. lib. 5. cap. 33. q. 8.*

XVIII. Veneno igitur in hostem grassari, ac clam emto immissoque percussore illicitum. Barbari solent inficere sagittas veneno: unde toxicanda dici

dici putantur à τοξεύσας, vel à taxo arbore. *Mylius in hort. Phil.* Et perpetua in famia flagrat Manuel Comnenus Imp. quod depopulatus est exercitum Conradi Suevi Imp. submissis panibus paratis ex farina infecta commoliti gypsi tenuissimo pulvere, *Peuc. lib. 4. Chron.* Romanii remiserunt Medicum, qui veneno se necaturum Pyrrhum Regem suum promiserat. *Schonb. lib. 6. cap. 18. Keck. lib. 1. cap. 31. disp. 32. q. 5.*

XIX. *Exploratores magna cum cautione adhibendi, ne in hostium potestatem redacti, emittenti noceant.* *Onof. Strat. cap. 6. Menoch. lib. 3. cap. 13. §. 3. Keck. lib. 1. cap. 7. disp. 30. q. 5.*

XX. *Insidie compendiaria ad viatoriam via sunt, ut & Proditiones, quatenus licet usurpantur.* *Shonb. lib. 6. cap. 28. Dan. lib. 7. cap. 6. Heid. cap. 5. p. 756. & seqq.*

CAP.

## CAPUT XXIV.

DE

Victoria & Clade Modoquē  
finiendi Bellum per Pacem.

## §. I.

**P**ugnae effectum est, aut Victoria aut Clades, ex quibus tamen de parte innocentis vel nocentis judicium haud ferendum. *Pol. Lips. lib. 5. cap. 18.*

II. *Victoria* Deo adscribenda præcipuè, eique solennes gratiæ hoc nomine in publico persolvendæ. *Psalm. 143. Judic. 5.* ubi Debora & Barak canticum Jehovæ cantant pro partâ victoriâ & *1. Sam. 18. vers. 6. 5. 7.* chorus fœmineus de urbib. Israël. tripudiat. *Judith. cap. 16.* Judith laudes DEOpandit, *2. Maccab. 8. vers. 27.* Judæi profigatis hostibus JE-HO-

HOVÆ agunt gratias. Sic etiam Constantinus pro partâ victoriâ voluit aulicos & milites solemnibus precibus DEO gratias agere: Euseb. *in vitâ Constantini*, lib. 6. Schonb. lib. 6. cap. 36. Tolos. lib. 11. cap. 12. Menochb. lib. 3. cap. 16. §. 1.

III. Habenda insuper victoria est  
1. Cautè. 2. Leniter. 3. Modestè.  
*Schonb. lib. 6. cap. 35. Tolos. lib. 11. cap. 12. Heid. cap. 5. p. 772.*

IV. *Cauela* negligentiam à Victore nimiamque fiduciam removet: *Lenitas* cavit ne desperationē inaudaciam iteratamque pugnam vertat *victus*: *Modestia* denique necessaria est Victori, ob incertitudinem rerum humanarum. Felicitas facile superbiam, occultaque alia vitia detegit, *Tacit. 2. hist.* & fortuna vitrea est, tunc, cum splendet, frangitur. *Habet enim has vices conditio mortaliū, ut aduersa ex secundis, secunda*

ex adversis nascantur. Plin. in Panegyr. Lips. lib. 5. Pol. cap. 18. Petr. Greg. lib. 11. de Reg. cap. 12. Alibus. cap. 36. Polit. num. 51. Keck. lib. 1. cap. 31.

V. Lenitatis regula exigit, Victo spem aliquam relinquendam semper esse & Vitæ & Pacis: nisi scil. aliud salus patriæ, aut mores victi perfidi ac manifestè tyrannici suadeant. Schonb. lib. 6. cap. 34. Keck. lib. 1. cap. 31. Tolos. lib. 11. cap. 12. Iud. 20. Neb. 9. 2. Sam 8. 1. Reg. 20. 2. Reg. 6. 2. Chron. 28. Argumentum nobilis & generosi ingenii est, victos clementer tractare. Et hoc testatur etiam illud Poetæ.

*Quo quisque est major magis est placa-  
cabilis ire,*

*Et faciles motus mens generosa  
capit.*

*Corpora magnanimo satis est pro-  
strasse leoni,*

*Pugna suum finem cum cadit ho-  
stis, habet.*

*At lupus & turpes instant morientibus ursi,*

*Et quaecunque minor nobilitate  
fera est.*

Qui devictis misericordiam & veniam denegant, durum adversus seipatos judicium accersunt; siquidem judicium immisericors Dei erit adversus illos, qui misericordiam erga alios non exercent.

VI. Valet enim hic illud: Victor jus vitae & necis in viatum possidet, Schonb. lib. 6. cap. 34. Dan. lib. 7. cap. 6.

VII. Etsi autem licitum sit loca vi expugnata deprædationibus diripere, æquitas tamen suadet, ut Agris, ædificiis, hominibusque, maxime infantibus & fœminis, quantum fieri potest, parcatur. Deut. 20. & 23. Ios. 8. 1. Sam. 15. 2. Reg. 3. Schonb. lib. 6. cap. 33. Keck. lib. 1. cap. 31. Tolos. lib. 11. cap. 10. Ames. Caf. Cons. lib. 5. cap. 33. q. 6.

VIII. Captivis quoque non est abu-

abutendum, & qui semel in fidem recepti sunt, violari non debent. Deut.  
21. Keck. lib. 1. cap. 31.

IX. Cadavera vero' occisorum, præsertim officiariorum eminentium, honestè sepelienda sunt. Keck. lib. 1. cap. 31. Confer. Grot. de Jur. bell. lib. 3. cap. 19. tot.

X. Modestia Victoris non dengat ei læta Victoriae indicia, e. g. Triumphos, Ignes succensos, Trophæa, Coronas. Rob. Valtur. lib. 12. de re milie. Panciroll. lib. 1. memorabil. cap. de Triumph. ibidemque Henr. Saltutb. in not. Alexand. ab Alex. lib. 1. Genial. dier. cap. 22. Schonb. lib. 6. cap. 37. Keck. lib. 1. cap. 31. Menoch. lib. 3. cap. 16. §. 6.

XI. Clades ferenda 1. prudenter, 2. fortiter. Non enim unius prælia eventu infelici animus est dejiciendus, sed meliora sunt speranda & exspectanda. Pet. Greg. lib. 11. cap. 12. Aliibus.

*cap. 36. num. 48. El. Reusn. lib. 3. Stratag. cap. 5. Schönb. lib. 6. cap. 32. Keck. lib. 1. cap. 31.*

XII. Prudentia hæc notitiam exigit distinctam cladi propriæ: Fortitudo autem ne in grandioribus quidem cladibus hastam Princeps ut abjiciat edocet. *Vid. sup. cit. aut.*

XIII. *De Finiendo Bello*, adeoque de Pace cogitandum cum Victori, tum Victo. *Lips. Pol. lib. 5. cap. 19.*

XIV. Utrinque autem , dum de Pace agitur , Obsides rectè dantur. *Schönb. lib. 6. cap. 39. Grot. de Jur. bell. lib. 3. cap. 20. §. 52. &c. Vid. quoque beatissimi Parentis Tract. de Pace. pag. 33.*

XV. Victo, ut pacem obtineat, arma tenenda , non deponenda: quod item verum , si pax suspectior esse incipiat, *Tolos. lib. 3. cap. 13. Heid. cap. 5. p. 772.*

XVI. Ea demum Victo arripienda Pax , quæ i. honesta est , non Tur-

Turpis. 2. Simplex non Ficta. Bod.  
lib. 5. cap. 15. Heid. l. cit.

XVII. Etsi pax optima initio  
belli, dum pares ambo videntur,  
obtineatur: inclinatis tamem rebus  
magis est, ut se inclinet Princeps &  
pacem anhelet. Bod. lib. 5. cap. 15.

XVIII. Victori Pax non solum  
Pulchra, sed & Utilis ac Tuta. Lips.  
Pol. lib. 5. cap. 20. Mart. Schoockius  
sup. cit. p. 40.

XIX. Tempus quo dare magis,  
quam accipere quis pacem potest,  
periculose negligitur, eoque in  
occasione danda pax: & quidem  
danda non crudelis & tyrannica,  
sed mitis & benigna, ita tamen ut  
insidiæ caveantur sedulo. Schonb. lib.  
6. cap. 38. Heid. cap. 5. pag. 773.  
774.

XX. Pax Semel sancita firmari  
debet & servari, neque ullum medi-  
um negligendum, quod ad confir-

I 3 ma.

mationem pacis conducere potest,  
in primis autem precibus h̄ic solli-  
citandus est Deus pacis. Keck. lib. 1.  
cap. 31. 32. Tolos. 2. lib. II. cap. 14.

## CAPUT XXV.

DE

Bello Civili in genere de-  
que Factione & Seditione.

§. I.

**B**ellum Civile arma designat subdi-  
torum in Principem aut inter-  
fere. lib. 6. cap. 1. Pol. Lips.

II. Bellum hoc miseriарum o-  
mnium ac calamitatum pelagus me-  
rito dicitur. Schonb. lib. 7. cap. 15.  
Estque igitur omnibus modis præca-  
vendum & fugiendum ; Quia sævi-  
tia quædam & feritas antieixa est  
bello civili ; à qua immensum ab-  
horret vir bonus. Hinc Cicero lib.  
9. ad

9. ad Atticum epist. 4. ait. Melioris  
medius fidius civis & viri puto quovis  
supplicio affici, quam illi crudelitati  
non solum praesesse, verum etiam inter-  
esse. 2. Quia secundum Plutarchum  
in Bruto, χειρὸν δὲ μοναρχίας τῷ θρό-  
νομος πολέμῳ ἐμφύλιος; Peius est  
injusto imperio bellum civile. 3. Quia  
ut Homerus canit Iliad. 8.

ΑΦΕΝΤΩΣ, ΑΘΕΛΙΟΥ, ΚΑΒΕΣΤΟΥ ΤΟΥ  
ΕΝΕΙΓΟΥΣ

ΟΣ, πολέμος ἔργατη σπιδημίας ο-  
κευοεντος.

Ille nefarius, & sine gente tribuque  
mibi esto

Qui civile cupit ferrum & execra-  
bile bellum.

Cujus mentem explicuit & diffudie-  
magis Tullius Philip. 12. Nec priva-  
tos focos, nec publicas leges, nec liber-  
tatis jurachara habere potest, quem  
discordia, quem cedes civium, quem  
bellum civile delectat: eumque ex

I 4 nume-

194 IDEA POLITICA.

numero bominum ejciendum, ex finibus humana natura exterminandum  
puto.

III. Quin ipsa Victoria in eo aspera est & misera, sic ut recte dicatur, Omnia in bellis civilibus misera, sed nihil miserius quam ipsa Victoria. *Cic. lib. 4. ep. fam. epist. 9.*

IV. Agendum nihilominus de eo in Politicis, ut discat Princeps non tam gerere illud, quam caveare. *Pol. Lips. lib. 6. cap. 2.*

V. Causæ Belli Civilis, Remotæ sunt, quæ primæ veræque causæ sunt, sed minus adhærent effectui, aut apparent: suntque 1. Providentia Divina, non Fatum Stoicum. 2. Luxus, *Keck. lib. 1. cap. 32. Schobn. lib. 7. cap. 1. & seq. confer. cap. 17.*

VI. Iustè Deus bellis civilibus magna sæpe imperia punit & perdit. *Vid. cap. 17. §. 1. 3. 8.*

VII. Remedium hīc 1. Patientia, 2.

Pre-

Preces, confer Lips. lib. 4. cap. 10. à  
verbis, *Iam quartum tibi suggero sen-  
tum, Fatum. &c.*

VIII. Rectè de *Luxu Florus*, Quæ,  
inquit, alia res civiles furores pepe-  
rit, quam nimia felicitas? Opes &  
Divitiæ afflxerè seculi, mores, lib. 3.  
cap. 12.

IX. Remedium luxūs in Censura  
quærendum, quâ de cap. 18. dictum.

X. *Cause propinquæ Belli civilis*  
sunt, quæ à remotis ortæ eventui  
conjunguntur & palam se ostendunt,  
veluti 1. Factio. 2. Seditio. 3. Tyran-  
nis. Pol. Lips. lib. 6. cap. 3. Schonb lib. 7.  
cap. 2. 3. 4. Keck, lib. 1 cap. 28.

XI. *Factio* est paucorum aut plu-  
rimum inter se coitio, & cum aliis dis-  
sensus. Schonb. lib. 7. cap. 11. 17. Me-  
noch. lib. 3. cap. 9. Keck. lib. 1. cap. 28.  
Tolos. lib. 23. cap. 3.

XII. Oriuntur ut plurimum fa-  
ctiones ex diversarum, maximè no-

I 5 bi-

bilium, 1. Odiis, publicis ac privatis.

2. Ambitione. Keck. lib. 1. cap. 28. Tho-  
los. lib. 23. cap. 3. Antim. lib. 3. th. 30.

XIII. Optimè Livius, Factio-  
nes, inquit, fuere, eruntque plurimis  
populis magis exitio, quam bella  
externa, quam fames mortive &c.  
lib. 3. confer. aut. cit.

XIV. Pessimè Florentinus, Prin-  
ceps, inquit, si pacis tempore dissi-  
dia inter subditos foveat, facilius iis  
ex voluntate utetur. 2. Civiles sediti-  
ones & dissensiones utiles sunt, mi-  
nimè verò damnandæ. Antim. lib. 3. th.  
30. 31. Keck. diss. 30. q. 10.

XV. Remedias factionum sunt: Le-  
ges iis oppositæ, 2. Sublatio insigni-  
um earundem. 3. Prohibitio conven-  
ticularum seditionis. Schonb. lib.  
7. cap. 11, 18. Keck. lib. 1. cap. 28. Tho-  
los. lib. 23. cap. 3. Altib. cap. 26.

XVI. Sedatio est multitudinis in  
Principem aut Magistratum subitus  
&

& violentus motus. Lips. Pol. lib. 6.  
cap. 4.

XVII. Seditio est 1. *Aperta*, quando subditi aperte insurgunt in Principem. *Clandestina*, quæ Insidiæ: utraque est 1. *Simplex*, quæ sine pacto expresso aut juramento fit, 2. *Lurata*, quæ fit interposito pacto ac juramento, propriequè dicitur *Conspiratio* & *Conjuratio*. Keck. lib. 1. cap. 28.

XVIII. *Origo* & *causæ* seditionis sunt 1. Oppressio. 2. Metus pœnæ, 3. Indulgentia nimia. 4. Inopia. 5. Tribuni plebis, 1. Ambitiosi, 2. Obærati, 3. Vani. Schonb. lib. 7. cap. 13. Keck. lib. 1. cap. 28.

XIX. *Progressus* seditionum sic habet, 1. Tribunitii spiritus clam palamque libertatis prætextu imperitos impellunt. 2. Improvidi impulsi alios alliciunt. 3. Calidi rem gerunt. Schonb. lib. 7. cap. 13.

XX. *Remedialiæ* Principi adhiben-

benda i. Mittat eloquentes qui mo-  
neant. 2. Ipse cautè adeat aspectuque  
terreat. 3. Spem offerat. 4. Conjun-  
ctos disjungat. 5. Suos subornet. 6.  
Ambigua promittat. 7. Vi compri-  
mat., sed i. clementer, 2. Capita, 3.  
sine inquisitione nimia. Schonb. lib. 7.  
cap. 14. Keck. lib. 1. cap. 28. Bod. lib. 5.  
cap. 2. Dan. lib. 3. cap. 7. Tolos. lib. 26.  
cap. 5. 6. & seqq. Alth. cap. 26.

## CAP. XXVI,

DE

Tyrannide, Modoque fini-  
endi Bellum Civile.

## §. I.

**T**yrrannis (tertia Belli Civilis cau-  
sa) est violentum unius imperi-  
um præter mores & leges. Pol. Lips.  
lib. 6. cap. 5.

II. Nomen tamen Tyranni non-  
sem-

semper in vitio ponitur, quin honorificum olim fuit. Etenim Tyranni olim dicebantur, qui potestate erant perpetuâ in eâ civitate, quæ libertati assueverat: *Cornel. Nep. in Miltiadez* Factisque, non nomine, à Regibus differebant: *Sen. i. de clem. cap. 12.*: Quemadmodum ei, quæ Græcæ & Latinæ literaturæ autores vel à limine salutavit, non potest non esse cognitissimum. *Tis γῆς Τύραννος*; *Quis ditionis tyrannus*, id est, Rex sive Dominus? *Eurip. in Suppli.* Quam vocis in dolem respiciens Aristophanes ipsum Jovem *ὑψηλόν τα πέπει τύραννον*, altè regnantem Deorum Tyrannum appellare non dubitavit. *In Nub.* Neque aliter vel Virgilius 7. Aen.

*Pars mibi pacis erit, dexteram tenuisse Tyranni:*

Vel Martial. lib. 9,

Hoc

Hoc habuit numen Pellai mensa  
Tyranni:

Voce hac usi. Geminioque sensu tum  
apud modò laudatum Poétam Eurí-  
pidem in Phænissis, tum apud Isocra-  
tem in Evagorā, & passim apud Ro-  
muli nepotes Latinos, cognatum  
Tyrannidis vocabulū accipitur.  
Barthol. Beck. Nevr. Gymn. Pol. Thes.  
78. de Mon. & Tyr. Menoch. lib. 3. cap.  
8. Tolos. lib. 6. cap. 18. Heid. p. 955.

III. Tyrannus est i. absque titulo,  
qui imperiū sibi non commissum, si-  
ne ullo justo titulo invadit vi aut ma-  
lis artibus. 2. exercitio sive administra-  
tione, qui quidem legitimè est consti-  
tutus Princeps, sed tamen tyrannice  
regit. Keck. lib. 1. cap. 18.

IV. Princeps à vera religione a-  
lienus, propterea quia alienus est  
non desinit esse legitimus Princeps,  
nedum ut pro tyranno sit habendus.  
Keck. lib. 1. cap. 13.

V. Ty-

V. Tyranni indeoles est 1. esse violentum. 2. terrore subditos compescere. 3. esse exlegem. 4. ipsas leges revertere. 5. amare delatores. 6. tueri malos. 7. odisse bonos, eminentes, divites, doctos eorumque scripta. Schonb. lib. 3. cap. 37. 39. Chok. lib. 6. cap. 12. Menoch. lib. 3. cap. 8. Heid. cap. 6. p. 958. Keck. lib. 1. cap. 28. Iun. Brut. Vind. Tyr. passim. Tolos. lib. 6. 18. lib. 22. cap. 7. Bod. lib. 2. cap. 54.

VI. Effecta horum sunt 1. Tyranni in omnium sunt odio. 2. in assidua metu. 3. conscientiae tormentis agitantur. 4. raro sunt diuturni. 5. raro incruenti. auct. cit.

VII. Remedia Tyrannidis sunt 1. Auferre, sive Resistere & Abdicare. 2. Ferre. auct. cit.

VIII. Non semper est illicitum tyrannos vel abdicare, vel è medio tollere. auct. cit.

IX. Tyranni saltet absque titulo,  
tan-

tanquam privati sine ulla conscientiæ difficultate, pelli possunt aut è medio tolli. *Grot. de Jur. Bell. lib. 1. cap. 4. §. 16. Heid. cap. 6. p. 963. Keck. lib. 1. cap. 28. St. Jun. Vind. contr. Tyr. q. 3. Alth. cap. 14. Tolos. lib. 6. cap. 18. lib. 26. cap. 7. Bod. lib. 2. cap. 5.*

X. Quoad Tyrannos exercitio Tolerantiæ scutum internectionis gladio præferendum est communiter, nisi sc. aliud extrema necessitas suadeat. *Grot. lib. 1. cap. 4. 10t. Chok. lib. 1. cap. 12.*

XI. Privata saltem τυραννοφωνία, inulta haud relinquenda. *Schonb. lib. 2. cap. 10. Dan. Etb. Cbr. lib. 2. cap. 13.*

XII. Quin publica factionum, bellorumque intestinorum sæpe causa fuit. *Keck. lib. 1. cap. 28. Alth. cap. 14.*

XIII. Quæcunq; autem instituenda necessariò sive abdicatio sive sublatio tyrannorum ea fieri debet ab impe-

imperii ordinibus, qui si ex parte hic negligant officium, reliquis legitimam resistendi potestatem non admunt, omnibus autem deficientibus, possunt subditi vindicem aliquem & repressore tyrannidis eligere. Keck. lib. 1. cap. 28. Bod. lib. 2. cap. 5. Dan. lib. 6. cap. 3. Altb. cap. 14.

XIV. Modus gerendi belli civilis cum par sit aut idem qui externi, ejus loco quærendum; in bello civili qui escat, an abeat in partes vir bonus? Dicendumque videtur, ut omnium est, cum superiorum tum inferiorum, patriæ laboranti succurrere: sic & doméstico huic igni aquam pro virili suffundere, sicque neutrales heic ferendos non esse. Lips. Pol. lib. 6. cap. 6. Keck. lib. 1. cap. 28. Altb. cap. 14.

XV. Hinc tamen non sequitur omnibus & singulis, etiam literatis, arma esse induenda & in acie tempore belli civilis necessario depugnandū. Keck. lib. 1. cap. 32.

XVI.

XVI. Acta Tyranni rescindenda sunt, quatenus id exigit Reip. salus.  
Bod. lib. 2. cap. 5. Heid. cap. 6. p. 969.

XVII. Finitur civilis discordia i: Pactione. 2. Victoria. Lipsi Pol. lib. 6: cap. ult.

XVIII. Pactio Victoriae heic longè præferenda, in tantum ut Pax quoque temporaria & parum firma Principi interdum sit arripienda. Menochi lib. 3. cap. 10. §. 5.

XIX. Errant autem, qui exacta hic omnia volunt & ad liquidum perducta. ibid.

XX. Cordato Principi satis est, semina motuum sustulisse, aut capita eorum spe honoris ablegasse, milites removisse, cum reliquis leviter egisse, breviter illam meruisse coronam. OB CIVES SERVATOS.

CAP.

## CAPUT XXVII.

DE

## Parentibus seu Subditis.

§. I.

**U**T Principis est de salute Civium  
esse sollicitum: sic *Subditorum*  
de Principis. Lips. Pol. lib. 6. cap. ult.  
*circa fin.*

II. *Subditi omnes sunt*, qui impe-  
rio ac jurisdictioni Principis subjici-  
untur, eique ad obedientiam obli-  
gantur.

III. *Subditi sunt* 1. Origine sive  
Nativitate. 2. Domicilio, quod in-  
telligitur induci, non sola contesta-  
tione aut emitione domus, sed con-  
testatione animi cum habitatione a-  
ctuali concurrente. Schonb. lib. 3. cap.  
34. ex l. 1. pr. l. 6. ff. ad Municip. & l. 20.  
l. 17. §. 3. ff. eod.

IV.

IV. Qui ex diversarum civitatum parentibus natus est, patris, non matris conditionem sequitur, nisi filius sit vulgo quæsus, qui matris originem sequitur. Schonb. ibid. ex l. 1. §. 2. ff. ad Municip. & l. 1. in fin. ejus qui 9. ff. eod.

V. Subditi dividuntur, in l. Vero, qui respectu officii sunt vel Ecclesiastici, vel Seculares, respectu dignitatis vel Nobiles, cum genere tum virtute, vel Ignobiles sive Plebei, ut Mercatores, Artifices, Carnifices: respectu gubernationis vel Tribus vel Societas, quæ Collegia, Corpora, ac Universitates continent. 2. Secundum quid tales, ut sunt Peregrini, Incolæ, Indigenæ. Schonb. lib. 3. cap. 35. 39. & seqq. Cas. lib. 2. cap. 2.

VI. Licet Ecclesiastici ratione doctrinæ, quam tradunt, soli Deo obediere teneantur; personæ tamen ratione seculari potestati sunt obstricti.

Hoc

Hoc nisi ita esset, Salomon Abiatharem Sacerdotio exuere, & morti abjudicare jure non potuisset, 1. Reg. 2. v. 26. nec Apostolus Roman. 12. v. 1. dixisset: *Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit.* Etiam si Apostolus sis, etiam si Evangelista, etiam si Prophetæ, sive quisquis tandem fueris. Neque enim pietatem subvertit ista subiectio. Et non simpliciter dicit, obediatur, sed subdita sit, ait præclarè h. l. Chrysostomus. B. Cellarius pag. 301.

VII. Distributio in nobiles & ignobiles non sumitur ex iis rebus, quas omnes & singuli homines inter se habent communes; sed ab iis, quas alii homines præ aliis à Deo & Natura, habent sibi proprias & peculiares.

VIII. Cum duo genera sint bonorum, quæ homini contingunt, alia naturalia, alia adventitia; hinc fit ut nobilitas etiam alia sit naturalis, alia adventitia.

IX.

IX. Naturalis nobilitas est, quā homo ab ipsa natura per se & immediate habet: ut cum propter bonam corporis temperiem & conformacionem ex semine parentum ortam præ aliis habet indolem bonam, per quam naturaliter propensus est ad virtutem actionesque honestas. De hac Nobilitate loquitur Socrates, cum cuidam, quid sit Nobilitas, interroganti, respondit, illam esse *ἰκανοῖς ψυχῆς καὶ σώματος*. h.e. bonam temperiem animi & corporis; seu, excellentiam hominis, quam habet ob indolis bonitatem naturalem ortam ex bona temperie corporis & animi.

X. Adventitia Nobilitas est quam homo non à natura per se & immediatè habet, sed aliunde. Eaque vel est *Moralis vel Politica*.

XI. *Moralis nobilitas est, quam homo studio virtutis, præsertim moralis*

C A P U T   X X V I I .   209

falis sibi acquirit. Et hæc sola κατ' ἔξοχην à Philosophis dicitur vera & perfecta nobilitas, & de ea loquitur Euripides in Dictye, cum ait:

Οὐέν γδ̄ ἐθλὸς εὐγενῆς ἐμοιγ' αὐτῷ.

Ο δὲ γ δίκαιος, καὶ αἰμεῖνον πατρός.

Ζηνὸς πεφυκη δυσγενῆς εἴναι δικεῖ.

Bonus vir mibi nobilis videtur:

Qui verò justus non est, licet à patre meliore,

Quam Jupiter genus ducat, ignobilis mibi videtur,

Idem in Alexand.

Οὐκ ὅτιν ἐν κακοῖσιν εὐγένεια παράγαδοῖσι δὲ αὐδεῶν.

Nulla nobilitas inter malos est, sed inter bonos tantum viros.

XII. Politica nobilitas est, quæ partim à lege, partim à fortuna pendet. Eaque vel est nobilitas generis, vel

vel officii. Nobilitas generis est, quæ in stirpis seu prosapiæ præ aliis præstantia consistit. Eaque propriè dicitur Græcè ἐυγένεια. Estque vel nova vel vetus. Nova est, quam quis per se ipsum beneficio Principis sortitus est. Vetus est, quam quis à suis parentibus & majoribus accepit. Nobilitas officii est, quæ in muneris, quo quis fungitur, dignitate consistit.

XIII. Nobilitas moralis omnium est præstantissima, propter sequentes rationes. 1. Quia nobilitas moralis pendet à virtute tanquam effectum à causa efficiente. Ideoque sicut virtus moralis omnium bonorum humanorum est præstantissima: ita etiam nobilitas moralis. Idcirco etiam Bodinus lib. 3. de Repub. cap. 8. καὶ ἐξοχὴν veram nobilitatem virtute metiendam esse monet; cum ea sit non modo Philosophorum ac Theologorum; verum etiam Poëtarum,  
Histo-

Historicorum & Iurisconsultorum  
penè omnium consentiens opinio,  
qui negant ullum sine honestate no-  
bilitati locum relinqu. 2. Quia no-  
bilitas moralis , perinde ac virtus ni-  
hil cum fortuna habet commune; nec  
ejus possessio vel furto eripi , vel in-  
cendio absumi , vel aquarium voragi-  
ne absorberi , vel vi morbi destrui ,  
vel ulla alia externa violentia perire  
potest. 3. Quia nobilitas moralis non  
tantum in se est perfectior naturali &  
Politica , sed etiam utramque perfic-  
cit. 4. Quia nobilitas naturalis &  
Politica separata à nobilitate mora-  
li est vana & inutilis ; imò sæpe nu-  
mero noxia , quatenus homines ea  
abutuntur ad superbiam , aliaque vi-  
tia & peccata.

XIV. Etsi uno & eodem modo  
ac respectu fieri non potest , ut idem  
homo simul nobilis sit & ignobilis;  
tamen diverso respectu & modo ni-

K

hil

hil impedit, quo minus fiat. Nam qui naturaliter vel politicè est nobilis, moraliter potest esse ignobilis; & contrà, qui moraliter nobilis est, potest naturaliter vel Politicè esse ignobilis. Sic idem homo, qui naturaliter vel Politicè est ignobilis, potest fieri moraliter nobilis; contrà qui moraliter ignobilis est, potest fieri Politicè nobilis.

XV. Mercatores maxima commoda in Rempublicam conferunt, quæ desunt, undique conquirendo subministrât. Innumerabilibus commoditatibus indigentiam humanam sublevant, quæ superflua sunt, & à nobis in usum transferri nequeunt, aliis communicant, atque sic suis & exteris consulunt, & de toto genere humano bene merentur, mercaturæ felicitas omnium rerum abundantia, & maximis divitiis Rempublicam auget, atque indies incrementa fac-

CAPUT XXVII.

facere facit, sicut Amstelædamum,  
cui totum Belgium sua incrementa  
debet, & Hamburgum Holsatiæ or-  
namentum satis indicant.

XVI. Opifices Republicæ sunt necessarii & utiles ; cum eorum operibus cives carere non possint ; sed illa ad explendam naturalem indigenitatem plurimum conferant.

XVII. Medici, qui etiam sunt  
Reipublicæ membra, multa commo-  
da in eam conferunt. Medici omni-  
bus, cum cujuscunq; generis morbis  
conflictantibus, fidelem operam præ-  
stant, sæpe maximo omnium mem-  
brorum corporis dolore vexatos, &  
exigua vitæ spe spiritum ducentes, fe-  
liciter per Dei gratiam sanitati resti-  
tuunt. Darius Hyſtaspis in venatione  
pedem luxans, exquisitissimis dolo-  
tibus vexabatur, septem dierum spa-  
tio somnum oculis videre nō licet,  
quem cum Democedes Medicus, ex

K-2 car-

carcere vocatus, restituisset, aureis  
eum compedibus & summis honori-  
bus ornavit, Chi hala sanita est ricco  
non losa.

XVIII. Medicina apud politio-  
res Reges semper in honore fuit. O-  
mnium sapientissimus Salomon, na-  
turalium speculator accuratissimus,  
à cedro ad hyssopum de omnibus  
nervosè disputabat. Mithridates Pon-  
ti Rex, Alexander Magnus atque a-  
lli, præsertim Arabiæ Reges, Medi-  
cinam magni fecerunt, *Sirac. 38. 2.*

XIX. Inter ciyes Reipublicæ nu-  
merantur etiam Adyocati, qui diri-  
munt ambigua causarum fata, su-  
que defensionis viribus in rebus sæpe  
publicis & privatis lapsa erigunt, fa-  
tigata reparant, non minus provi-  
dent humano generi, quam si præliis  
ac vulneribus patriam parentesque  
salvarent, *l. 14. C. de adv. 1.* Reipubli-  
cæ interest, litigantes idoneè defen-  
di,

di, l. servum 33 ff. de procur. l. 13. C. de Ju-  
dic, ut scilicet sint, qui succurrant (1)  
simplicitati orū, qui se defendere ne-  
queunt. (2) calumniantium technas  
in causis perplexis detegant, & justi-  
tiam tueantur. Où manque police,  
abonde malice.

XX. Multi pii non defuerunt bo-  
ni Advocati officio. Daniel Susannæ,  
injuste damnatæ , patrocinium sus-  
cepit, sicut ex historia Susannæ *versu*  
45. patet; Esther Regina intercessio-  
nes sua populum Judaicum , damna-  
tum injusti Hamanis sententia , &  
jam morti destinatum , periculo eri-  
puit, malumque in autoris caput re-  
torsit , qui in crucem actus est, *Esther*  
*7. 3.*

XXI. Utrum Executores justi-  
tia , quos vulgo carnifices appella-  
mus , sint infames & dishonesti ?  
Quamvis orationem carnificis vel  
lictoris interventu, Cicero funesta-

ri affirmet, & Bodinus eorum offici-  
um sordidum & exosum statuat, vul-  
gus quoque inhonestos & infames  
esse censeat, non tamen revera tales  
sunt. Si enim sentiam ferre non est in-  
fame, nec sententiam exequi infame e-  
rit. *Vid. Zepp. lib. de ll. Mosaic. cap. 7.*

XXII. Collegia Reipublicæ sunt  
necessaria & utilia. 1. Quia conser-  
vant inter cives charitatem & amici-  
tiam, sine qua Respublica stare non  
potest. 2. Quia nihil est, quod Rem-  
publicam æquè frangere ac debilita-  
re possit, quam si collegia omnia tol-  
lantur. Et propterea illi, qui Rem-  
publicam aliquam vitam omni re-  
bellandi virtute exuere voluerunt,  
omnia collegia & consilia ad tem-  
pus prohibuisse leguntur. 3. Quia Le-  
gislatores & Principes, qui Respub-  
licas primò fundarunt nullum ad  
eas continendas stabilius fundamen-  
tum esse judicarunt, quam societa-  
tes

tes ac sodalitia tueri. Hinc Pompilius Numa Rex optimus Romanorum non modò collegia omnis generis opificum; sed etiam mercatorum instituit eaque sacrificiis solennibus ac epulis, quæ statis anni diebus fierent, obligavit. Idque Solonis exemplo fecisse videtur, qui omnia omnium ordinum ac generum collegia, instituere iisque statuta, quæ modò legibus contraria non essent condere permisit. Idem fecit Lycurgus, qui cives sodalitiis ac societatibus devinxit.

XXIII. Etsi verò numerus collegarum certò definiri non potest; tamen pauciores tribus collegium constituere non possunt. Illæ autem personæ debent esse ejusdem conditionis, hoc est, ejusdem vitæ generis officii, artis, studii & professionis, eodemque fine congregatæ. Neque obstat quod Bodinus lib. 3. de Republica

lica cap. 1. ait: *necessere non esse collegas eadem conditione esse.* Hæc enim assertio manifestè pugnat cum definitione collegii ab eodem tradita, nisi vocabulum conditionis in aliâ significatione accipiat.

XXIV. Differt collegium , corpus & universitas , tanquam pars & totum. Collegium enim est pars respectu corporis , & corpus pars respectu universitatis.

XXV. Hinc ex collegiis pluribus & personis conditione dissimilibus coalescit corpus , ut collegia consulum , tribunorum , senatorum , unum constituunt corpus: Sic ex diversis Collegiis Academicis unum corpus constituitur , cui si annumerentur omnes Academicí cives , fit universitas.

XXVI. Prudens & sedula animadversio cautioque adhibenda est Magistratui , ne promiscue omnes peregrini

grini nec omni modo in Rempubli-  
cam admittantur: neve promiscue  
& indifferenter omnibus jus civitatis  
concedatur.

XXVII. Non enim admittendi  
sunt i. Qui ob justas causas ex aliis  
Rebus pub. exclusi sunt & in exilium  
ejecti. 2. Qui ignavi fuci sunt & fru-  
ges tantum consumere nati. 3. Qui  
improbì sunt & flagitosi, suorum-  
que morum corruptela & contagio  
cives inficere possunt.

XXVIII. Neque jus civitatis con-  
cedendum nisi iis i. Qui evidenter  
vel agris hortisque sedulo excolen-  
dis, vel opificiis utilibus exercendis,  
vel negotiationibus frequentandis,  
aliisque honestis studiis & artibus  
Rempublicam ditare, ornare & am-  
plificare, ejusque salutem promo-  
vere possunt. 2. Qui secundum re-  
ceptas Reipublicæ leges per omnia  
vivere volunt, neque peculiarem

regiminis formam aut Iurisdictionem affectant. 3. Qui cupiunt sedem fixam in illa Republica habere; neque cumulatis in ea opibus aliò migare, eamque vel belli vel aliarum necessitatum tempore deserere cogitant. Iniquum enim est, cujus percepitis commoda, ejus nolle ferre incommoda, nec juvare, cum necesse est, Rempublicam eam, cui bona tua omnia debeas, & quæ te instar matris benignæ receptavit, sustentavit ac defendit.

XXIX. Omnium societatum nulla præstantior, nulla firmior est, quam cum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate conjuncti. *Seneca.*

XXX. Civis propriè dictus differt ab incola & peregrino : Nam 1. Civis particeps est privilegiorum ciuitatis : incola autem & peregrinus non. 2. Peregrinus non habet domicili-

cilium in civitate in qua peregrinatur, sed hospitium duntaxat & diversorum. Civis autem & incola habet domicilium. 3. Peregrinus non habet animum manendi in loco, ubi peregrinatur. Civis autem & incola habet. 4. Peregrinus non simpliciter subjectus est legibus & imperio ejus loci, ubi peregrinatur. Civis autem & incola contra simpliciter subjectus est legibus & imperio ejus civitatis, quam inhabitat.

XXXI. Porrò Inquilinus differt ab incola, quod ille potest esse civis; hic autem non. Dicitur enim propriè *inquilinus*, Græcè ἔνοικος, qui non in propria, sed aliena domo habitat. Talis autem non minus ac qui proprias ædes inhabitat, potest esse particeps privilegiorum civitatis, &, per consequens civis. Errat igitur. *Daneus lib. 2. Politicæ Christianæ, cap. 4.* dum inquinum à cive pleno di-

stingui asserit, quod ille neque tribum, neque jus publicorum magistratum adipiscendorum in civitate, quam inhabitat, habeat.

**XXXII.** Civem oportet æquo & pari cum civibus jure vivere, neque submissum & abjectum, neque sese efferentem, tum in Republica ea velle, quæ tranquilla & honesta sunt.  
*Cicero.*

**XXXIII.** Etsi definitus ciuiū numerus præscribi non possit facile, haud tamen putandum, in ipsa multitudine, si maxima sit, civitatum sitam esse felicitatem. *Schonb. lib. 3. cap. 39.*

**XXXIV.** Nimis magnæ & populose civitates omni libidinum & scelerum genere sunt refertæ, seditionumque plenæ: ex quo oritur illarum interitus, ut testantur Romæ, Corinthi, Carthaginis, Hierosolymæ aliarumque urbium cadavera. **Civitas populosa facilimè exhauri-**

**tur,**

tur, sitq; in illa summa rerum omniū caritas & penuria, quod tantam hominum multitudinem tanquam onus nimium & impar ferre atque aleare nequeat.

XXXV. Notandum est, in civitate commendari mediocrem hominum multitudinem, quæ neque modum excedat, neque nimium deficiat. Illam autem mediocrem & proportionatam multitudinem aestimandam esse partim ex quantitate & fertilitate loci; partim ex alimento, quæ extrinsecus in eam terra marique invehuntur, libertate: partim ex divitiarum potentiaque magnitudine; partim deniq; ex civium bonorum & utilium copia.

XXXVI. Aristoles *lib. 7. Pol. cap. 16.* docet civium numerum, quando supra eum, qui semel definitus est, excreverit, à Magistratu imminendum esse. Id autem commode fieri posse

posse arbitratur, si procuret, ut fœminæ intra quadragesimum à momento conceptionis diem abortiant, antequam fœtus sint animati.

**XXXVII.** Verum hoc Philosophi præceptum nullo modo à nobis, qui Christiani sumus, est amplectendum.

1. Quia pugnat non tantum cum lege Dei de non committendo homicidio; sed etiam cum mandato ejusdē de multiplicando humano genere.
2. Quia institutioni divinæ matrimonii adversatur.
3. Quia Naturæ bellum infert, cui propositum est per singulorum & individuorum multiplicationem speciei totius æternitatem conservare, & quod bonum est, latius diffundere.
4. Quia occasionem præbet ad semen fœcundum & prolificum, quod ad procreationem hominis est destinatum à Natura, corruptendum; & sic hominem ipsum ex eo nascendum tanquam segetem

getem in herba suffocandum. 5. Quia non tantum Jurisconsulti Romani, eam foeminam, quæ partum absque dolo malo abegit, ream damnam-damque esse, apertè pronunciant; sed etiam abortus procuratio disertè *Exodi* 2. prohibetur.

XXXVIII. Ægypti olim cives dividabant in sacerdotes, milites & operarios. Plato *in lib. de legibus* in custodes, milites & agricolas. Indi in septem ordines, unum Philosophorum; 2. agricolarum; 3. pastorum & venatorum; 4. opificum; 5. militum; 6. ephororum & præsidum; 7. consiliariorum & assessorum.

XXXIX. Hyppodamus *Pythagoreus in lib. de Republica* universam Rempublicam in tres ordines distinguit, quorum primum vocat  $\beta\gamma\lambda\epsilon\nu\pi\kappa\circ\delta$ , hoc est, consiliarium: alterum  $\mathcal{O}\mathfrak{m}\kappa\nu\epsilon\gamma\circ\delta$ , h. e. auxiliarium: tertium  $\beta\alpha\tau\alpha\delta\circ\delta$ , operarium seu mechanicum

cum. Ad primum ordinem refere viros prudentes, qui Rempublicam gubernant, publicaque negotia tractant. Ad secundum viros robustos & fortes, qui Rempublicam defendunt. Ad tertium eos, qui res necessarias exhibent & suppeditant. Ac primum ordinem subdividit in tres partes, nempe primarium, rectorium & senatorium, Græcè πρόεδρον, δημοσιευτικόν. Primarium vocat, qui in consesso primum locum tenet, & ante omnes consultat, & eum ad Senatum refert, Rectorium vocat, qui medius est inter primarium & senatorium, & ad reliquos regendos creatus. Senatorium vocat, qui de iis quæ à primario proposita sunt suscipit, suffragia fert, & quæ in judicium veniunt confirmat. Secundum ordinem dispescit in regentem, propugnantem & promiscuam militum multitudinem. Tertium ordinem

nem dividit in agricolas, opifices & mercatores.

XL. Cæterum apud populum Romanum olim cives fuerunt divisi in tres ordines, nempe senatorium, equestrem & plebeium. Erant enim cives Romani aut senatores aut equites, aut plebs; eaq; vel urbana vel rusticæ.

XLI. Spurii virtute & eruditione elari, in societatem civium admittendi sunt. 1. Per l. 6. in princip. ff. decurion: ubi dicitur: quod spurii ad dignitatem decurionatus pervenire possint, quod impedienda dignitas ejus non sit, qui nihil amisit. 2. Quia calamitas matris non debet ei nocere, qui in utero est, §. sufficit, Instit. de ingen. 3. Poena suos tantum debet tenere auctores, l. crimen 26. ff. depæn. 4. textibus juris canonici, cap. nunquam dist. 56. ubi dicitur, cum si quis propriâ virtute decora-

tus,

tur, parentum suorum, opprobriis  
non debeat decorari. Et cap. nasci d.  
dist. 56. ubi dicitur, quod non sit ejus  
culpa, qui nascitur vel ex adulterio  
vel ex concubinâ, sed ejus qui gene-  
rat. *Vid Paleot. in tract. de spur. cap. 56.*

## CAP. XXVIII.

DE

## Subditorum Officio.

§. I.

**O**fficium Subditorum est, Princi-  
pi exhibere sincero ex affectu 1.  
honorem, 2. obedientiam. 3. Tribu-  
tum. Schonb. lib. 3. cap. 37. Keck. lib. 1.  
cap. 25.

II. Subjectio necessariò cum im-  
perio est conjuncta: Nam 1. Politia  
est ordo inter homines civiles, quo-  
rū alii præfunt & imperant, alii sub-  
jiciuntur & parent. Ideoque ad ejus  
con-

constitutionem non tantum imperium, sed simul subjectio civilis necessariò requiritur. 2. Quia δέχων καὶ δέχομεν, hoc est, Imperans, & is cui imperatur sunt relata. Cum autem relatum non possit esse absque suo correlato: sequitur neque imperantem posse esse absque eo, cui imperatur. 3. Quia omne imperium est varium & otiosum, ubi nemo est, qui imperio vult esse subjectus. 4. Quia Deus & natura subjectionem cum imperio indissolubili vinculo conjunxit. Ergo Deo & naturæ repugnat, qui unum ab altero vult separare.

III. Honor Principi exhibendus, per recognitionem superioritatis & venerationem Majestatis ejus, tanquam divinæ, quæ amorem, & benevolentiam comprehendit. *Psalm. 82. 6. 1. Pet. 1. 7. Tol. lib. 8 cap. 3.*

IV. Amor, quo subditi Principem suum

suum tenentur complecti, debet esse  
verus & constans & quasi filialis. E-  
jus enim affectu compulsi preces pro  
salute Principis fundunt subditi, e-  
jusque vitam & fortunam defendunt  
& ab omni proditione, conventicu-  
lis, conspiracyibus, verbis injurio-  
sis seu convitiis abhorrent. Peccant  
proinde graviter, qui calumniis Prin-  
cipem insectantur & qui omnia il-  
lius facta rimantur & ad deteriora-  
flectunt. Et poenas suæ curiositatis &  
vaniloquentiæ non effugient. *Jer.*  
*29. 7. 1. Tim. 22. Dan. 6. 21. Tertull. in*  
*Apolog c. 30.*

V. *Obedientia* Principi præstanda  
in politicis omnimoda, etiam quoad  
edicta duriora & iniquiora, in reli-  
giosis v. g. quatenus divinis manda-  
tis nihil injungitur contrarium: sic  
enim Magistratui obediendum, ut  
Deo magis. Quia est supremus mun-  
di Monarcha, cuius imperio absolu-

non

non tantum omnis Magistratus Politicus; sed etiam cæteri omnes homines subjecti. Unde etiam in Scriptura sacra passim dicitur *Rex regum & dominus dominantium.* Deus gravissime punire solet subditos, qui Magistratui potius, quam Deo obedire volunt, *1. Pet. 2. 18. 1. Sam. 8. 10. Act. 4. 19. Schonb. lib. 3. cap. 37. Aret. tom. 2. Probl. loc. 153.*

**VI.** Subditis non licet mandata sui Magistratus examinare & dijudicare: Nam 1. *Æquum est*, ut probi subditi de suo Magistratu, ejusque mandatis bene sentiant, nihilque injusti aut præsumant, aut suspicentur. 2. *Quia non decet privatos homines de rebus etiam dubiis curiosè inquirere, præter suum vel captum, vel conditionem.* 3. *Quia subditi facile vel ex imprudentia vel ex affectu quodam, quo judicium mentis excæcatur & corruptitur, errare possunt*  
in

in dijudicandis Magistratus sui mandatis. 4. Quia pugnat cum dilectione & reverentia , quam subditi suo Magistratui debent, illius mandata examinare & dijudicare.

VII. *Reverentia* subditorum est honor , quo ipsi suum Magistratum ex animo , corde, verbo, gestibus collunt , venerantur & observant. Cujusmodi fuit illa reverentia Q. Fabii Maximi, filium Consulem reverentis: Quamvis Christianos multò altius assurgere oporteat & timeant tanquam Vicarum Dei , candide de ipso statu judicent, & honorifice censeant.

*I. Reg. I. 23. 31.*

VIII. Subditi legibus potius quam Magistratui obedire debent: Nam i. Tutius est legem, quam hominem quantumvis perspicacem sequi. Lex enim est multorum prudentium collecta ratio & sapientia. Plures autem perspicaciores sunt & oculatio-

tiores , quam unus. 2. Quia lex est mens seu potius mentium congregata multitudo : mens verò est divinæ auræ particula. Ideoque qui legi paret, Deo paret, Deumque arbitrem quodammodo facere videtur. Contra autem , qui Magistratui parere mavult quam legi , belluæ , quam Dei imperium malle videtur. Idcirkó Aristoteles inquit lib. 3. Pol. cap. 3. *Eum , qui legem Reipublicæ præficit, Deum præficere : qui verò hominem , bellum præficere.* Et huc etiam Prophetæ alludere videntur , quando imperia immania belluarum rapacium nomine depingunt. 3. Quia Magistratus ipse legibus est subjectus : & suo officio fungi non potest , nisi legum ductum sequatur. Unde Archesilaus Rex Spartanorum affirmat , *Imperatorem legum imperata facere oportere.* Et Pausanias Spartanus ait , *legibus in homines ; non hominibus in leges auctoritatem datur.*

*tboritatem convenire.* 4. Quia Magistratus jussa non ex ipsius voluntate, sed ex legum authoritate justa aestimanda sunt. Non enim ideo illa sunt justa, quia Magistratus vult: sed quia legibus sunt consentanea: immo quicquid Magistratus vult, prius justum esse debet, quam ipse velit.

IX. Et propterea impia sunt nungamenta Aulicorum assentatorum, qui Regum responsa oracula vocant; nec verentur Regibus persuadere nihil per se justum vel injustum esse; sed ut Rex ita, vel secus jusserit, justum vel injustum fieri: quasi Deus ipse sit, qui peccare nullo modo possit. Non enim justitia Regi perinde a Iovi assidet, ut quicquid ei libitum fuerit, confessim sanciat: quemadmodum Anaxarchus ad Alexandrum de Clyti, quem interfecerat, nece vehementer anxium dicebat: sed contra justitia regno praesidet, ut si Reges legum Majestatem violent & laedant,

dant, pœnas ab illis gravissimas re-  
poscat. Neque Principum utilitate &  
libidine jus omne definitur, ut Thrasy-  
machus ille Chalcedonius dicebat:  
sed potius Principum utilitas jure  
terminatur, & libido legibus coer-  
cetur. Neque Principi, quodlibet, licet,  
ut mater Antonino Caracallæ dice-  
bat: Verum quod per leges licet id ei  
collibescere debet. Elius Spartianus,

X. Subditis non licet in Magi-  
stratus suos insurgere: nam Deus o-  
lim seditionum authores punivit, ut  
in deserto contra Mosem, Coré, &  
alii murmurantes, igne absumpti  
sunt, Num. 16. 4. 49. & terra domesti-  
cos Coré, Dathanum, & Abironem  
cum suis omnibus, vivos absorbuit,  
Num. 16. 12. 31. Absalon etiam pro-  
priis capillis suspensus, impiæ sedi-  
tionis in Patrem excitatæ pœnas luit,  
1. Sam. 18. 9. Nec Zebæ, Adoniæ, &  
Zabri melior sors fuit. 2. Sam. 20. 12.

## 236 IDEA POLITICÆ.

22. 1. Reg. 2. 10. 25. & 16. 16. Time Deum, Regem, & cum seditionis ne commiscearis, quia citò eorum veniet interitus. Prov. 24. 21. Et Christus inquit: Qui gladium accipit, gladio peribit. Math. 26. 52.

XI. Si subditis licentia concedetur resistendi suo Magistratui; hac ratione fenestra aperiretur ad quaslibet seditiones, conjurations & rebelliones: & sic publica tranquillitas, quæ finis est præcipuus omnis benè constitutæ Reipublicæ turbatur. David etsi jam regni successio ei concessa esset, & ducis præcipui officio in bello fungeretur: tamen, dum impetratur à Saulo, tantæ apud se authoritatis vietum Domini fuisse ostendit: ut deprehensum neque ipse lædere, neque ab aliis lædi voluerit; sed exemplo illum mortis supplicio affici jusserit, qui de eo à se occiso gloriabatur: illum denique quan-

quantumvis iniquissimum tyrannum  
vivum & mortuum honore maximo  
sit prosecutus. Historiæ testantur o-  
mnes illos, qui per seditionem Ma-  
gistratui restiterunt, graviter à Deo  
fuisse punitos, ut patet ex *præc. S. b.*  
*cap.* In primis verò hoc testantur ex-  
emplum Iudeorum ( quales memo-  
rantur Iudas ille Galonitas , Theu-  
das aliique furiosi ) qui cum adver-  
sus Romanum Imperatorem rebelli-  
onem moverent ad defendendam li-  
bertatem patriæ miserè perierunt.

XII. Licet Magistratui Politico  
*tributa* exigere à suis subditis. 1. Quia  
tributa nihil aliud sunt, quam subsi-  
dia benè administrandi Rempub. à  
populo Magistratui conferenda. 2.  
Quia tributa publicis necessitatibus,  
adeoque subditorum utilitatibus in-  
serviunt. Quia faciunt ad augendum  
ærarium publicum, cuius cura per-  
tinet ad Magistratum Politicum. 4.

L 2

Quia

Quia sunt præmia virtutis, quam Magistratus in rectè gubernandâ Republicâ adhibet. s. Quia juri divino & humano consentanea est tributorum exactio.

XIII. *Tributa* subditis præstanda 1. fideleriter sine defraudatione ulla. 2. alacriter, sine murmure. Rom. 13. Dan. lib. 3. cap. 3. Keck. lib. 1. cap. 25. Tolos. lib. 3. cap. 4.

XIV. Ad præstationem officii hujus subditi *Iuramento fidelitatis* si-  
ve *Homagio* obligare se tenentur. Schonb. lib. 2. cap. 21. Keck, lib. 1. cap. 25.

XV. Homagium præstitum à Ma-  
rito etiam ab Uxore, à Patre etiam à  
Filio, à Domino etiam à famulo  
præstitum intelligitur. Keck. loc. cit.

XVI. Ad obedientiam hanc te-  
nentur non solum *Laici*, sed & *Clerici*, quin & *subditi* secundum quid tales.  
Menoch. Pol. lib. 2. cap. 5. Vid. cap.  
prec. §. 6.

XVII.

XVII. *Immunitas sive Vacatio ab oneribus nulli concedenda, nisi ob graves & justas causas, ex. gr. ob infirmitatem corporis in infantibus & Senibus deponantibus, ob sexus imbecillitatem in fœminis, ob morbos, ob nimiam paupertatem, ob numerosam sobolem &c.* *Keck. lib. 1. cap. 25.* *Alt. lib. 12.* *Schonb. lib. 4. cap. 20.*

XVIII. *Personarum tamen Ecclesiasticarum ac Dñn. Studiosorum si in nonnullis melior hic sit conditio, nil fit rationi adversum.* *Tolos. lib. 3. cap. 7.* *Chok. lib. 2. cap. 10.*

XIX. *Interdum ob gravissimas causas, quas recta ratio, adeoque evidens necessitas suggerit, licet Magistratui Politico extraordinaria interdum tributa à subditis exigere.*

XX. *Sed diligenter cavendum ipsi est: i. Ne tributa illa sint nimis grandia, & ad vexandum, onerandum ac exhauriendum supra modum.*

L; dum

dum subditos accommodata. Hinc Alexander magnus cum quidā ipsum admoneret, longè plus vestigalium auferri posse, respondit. *Et olitorum odi, qui radicitus excindit olera.*  
 2. Ne sint sordida & indigna Magistratu. Turpe enim est lucrum ex omnī occasione odorari, & ut in Proverbio est, *vel à mortuis auferre.* 3. Ne sint nimis frequentia. 4. Ut æqualter imponantur subditis sine odii, aut gratiæ respectu. 5. Ut non suum proprium & privatum, sed publicum commodum querere videatur. 6. Ut non per crudeles, violentos, rapaces, & avaros, sed probos, humanos & justitiæ amantes ministros id peragat.

XXI. Officium subditorum non ipsum Principem tantum, sed & Conjugem ejus, liberos, consanguineos, officiarios respicit, quin ipsos subditos inter se se, *Keck. tot. cap. 25.*  
*lib. i.*

XXII.

**XXII.** *Conjugi Principis*, et si propriè non sit Magistratus, honor tamen & reverentia debetur, propter individuam matrimonii copulam cum Principe: quod idem de liberis, consanguineis &c. dicendum.

**XXIII.** *Totam Universitatem sive Patriam* omnes cives amare tenentur, sic tamen ut vitia illius ac descētus non excusent, sed seriō cupiant ac studeant emendare. *Tolos. lib. 15. cap. 3.*

**XXIV.** *Subditi* qua pares sunt, si bi invicem humanitatem, comitatem, ac civilem conversationem debent, et si sententiis cæteroquin & opinionibus differant. *Keck. lib. 1. cap. 5.*

**XXV.** *Sicut corpus Physicianum* conservatur, quamdiu membra illius inter se benè conspirant, & unumquodque rectè suo officio sine alterius læsione fungitur: corrūpitur autem, cum inter ea existit dissensio,

& unum alteri noxam infert. Ita Res-publica conservatur, quamdiu inter cives durat amicitia, concordia justitia: corruptitur autem, cum inter illos viget inimicitia, discordia & injustitia.

**XXVI.** Quod autem Machiavellius lib. i. disput. de Repub. cap. 4. asserit, discordias, quæ inter plebem & Senatum Romæ fuerunt, occasionem dedit, ut ea Respublica libera simul & potens efficeretur: id si discordiis ascribitur tanquam causæ efficienti per se, simpliciter est falsum: si autem tanquam causæ efficienti per accidens: concedo quidem, sed veritas hac ratione non impugnat.

**XXVII.** Peregrinus ut non debet nimirū curiosus esse in Rep. aliena, sic moribus istius loci, in quo vivit, nisi sint absurdī, se tenetur accommodare, juxta illud:

Si

CAPUT XXIX. 243

*Si fueris Roma, Romano vivito mo-  
re:*

*Si fueris alibi, vivito sicut ibi.*

CAPUT XXIX.

D E

Optimatum statu, sive de  
Aristocratia.

§. I.

Ex doctrina de Principatu sive Mo-  
narchia, hactenus exposita, faci-  
lè intelliguntur, quæ de Optimatum  
& populi statu dicenda, cum illa o-  
mnia certâ proportione huc accom-  
modari possint.

II. Cum in Optimatum & Popu-  
li statu non unus, sed plures imperi-  
um gerant, recte uterque dicitur Sta-  
tus Polyarchicus, cui Monarchicus op-  
ponitur.

III. Optimatum status sive Aristocra-

L 5

crat-

*eratia* est plurium, sed optimorum, imperium, recte susceptum ac gestum, parentium bono. *Keck. Pol. lib. 1. cap. 2. Arist. lib. 3. Pol. 5. Schonb. lib. 5. cap. 2. B. Will. Pol. cap. 6. Iob. P. Feliwinger. de Speciebus Rerump. p. 206. Bodin. lib. 2. cap. 6.*

IV. Imperium Octaviani, Antonini, Lepidi, aliorumque penes quos Majestatis jura pari gradu succurrunt, non tam Monarchicum dicendum, quam Aristocraticum; qui tamen si imperium inter se dividant, ex uno plura constituunt Regna. *W. Heid. Pol. cap. 6. pag. 787.*

V. Numerus optimatum certus definiri non potest, cum interdum plures, interdum pauciores, pro ci-vium multitudine aut paucitate, potentia vel impotentia, copia & inopia, divitiis & paupertate, requi-zantur.

VI. Apud Athenienses Optima-

tes



tes seu Senatores erant numero 500.  
 Apud Spartanos 28. Senes : Mantinei  
 & Argivi 80. Elæi 60. Epidaurii 180.  
 Seres 500. Crotoniotæ 1000. habuisse  
 feruntur. *Alex. ab. Alexand. lib. genial.*  
*dierum cap. 11.* Massilienses 600. *Valer.*  
*Maxim. lib. 2. cap. 1.* *Strabo lib. 4.* *Pla-*  
*to lib. 6. de LL.* in Senatum deligit 30.  
 viros media ætatis, vel quod plures  
 viros prudentiores inter cives repe-  
 riri posse desperaret, vel quod inter  
 pauciores facilius conveniret, quam  
 si essent numero plures. *Vid. W. Heid.*  
*pag. 893.*

VII. Aristocratia proximè acce-  
 dit ad Monarchiæ præstantiam & bo-  
 nitatem. Imperantes enim, quamvis  
 in ea multiplicentur, virtute tamen  
 rursus uniuntur. Deinde, optimos,  
 quamvis plures, imperare, æque ac  
 unum optimum, naturæ consentaneū  
 est. In Democratia peiores dominan-  
 tur & violenter bonos, qui semper

pauciores sunt, persequuntur & op. primunt. *Vide Herodot. lib. 3. in Oratione Megabyri, Bodin. lib. 6. cap. 4. de Republica. Junium parte 1. q. 4. Et recentiores passim.*

VIII. Quin ut Monarchia abso-  
lutè spectata præstantissima est impe-  
riorum forma : sic Aristocratia ac-  
commodatissima videtur esse condi-  
tioni & imbecillitati generis huma-  
ni , atque hoc modo intelligendus  
Arist. quando regimen optimatum  
optimum esse colligit. l. 5. *Pol. conf.*  
*cap. 4 §. 19. 20.*

IX. Aristocratia tam diu bona  
dicenda , quamdiu Optimates o-  
mnes, qui imperant, inter se conser-  
tiunt , & velut unum quem repræ-  
sentant.

X. Omnibus Optimatibus impe-  
randi jus at potestas ex æquo indivi-  
sim competit , sicut conjunctim  
quæcunque agenda sunt agere tene-  
an-

antur. *Vid. C. Clauſium de Repub. p. 120.*

XI. Consultum nihilominus videtur, ut in unum transferatur jus convocandi collegas ac potestas proponendi colligendique suffragia.

XII. *Electio Optimatum optimè ab ipsis fit optimatibus; periculose à populo. Bodin. lib. 2. cap. 6.*

XIII. Illa autem electio optima est, quæ in eligendis primario virtutem, secundario bona externa, sive opes, potentiam, splendoremque familiæ respicit. *Tolos. lib. 4. cap. 5. Keck. disp. 36. q. 4.*

XIV. In Electione hac quia sæpiſſimè peccatur inde fit, quod alia Aristocracia aliam vincat perfectione, aliaque dicitur *Perfectior*, alia *Minus perfecta*. *Heid. cap. 6. pag. 896.*

XV. Sic quoque probanda distinctio, qua alia dicitur esse *Prima-*  
*rio,*

rio, alia Secundario talis, quarum illa viros ad amissim optimos, Hæc partim optimos, partim mediocriter bonos admittit. *Ibid.* & *B. will. Pol. cap. 6.*

XVI. In illa videndum, ut dignitates sint perpetuae. Confer *cap. 6. §. 6.*

XVII. Aristocratia alia *Major* est cum tota aliqua Provincia & regio ab Optimatibus regitur, alia *Minor*, quando urbs aliqua vel pagi aliquot, *Heid. cap. 6. p. 896.*

XVIII. Subditorum officium in statu Aristocratico est, id tribuere omnibus Optimatibus, quod in statu Monarchico uni præstatur, nim. Honor, Obedientia, Tributa. *Vid. cap. præc. §. 1. & seqq.*

XIX. Aristocratia facile degenerat in *Oligarchiam*, qua pauci ex plurimum Optimatum numero, cæteris exclusis, imperium invadunt, sui-

suique similes constituunt, ac pro lubitu leges & populum opprimunt.  
*Vid. L. Verin. d. Oligarchia.*

XX. Horum conatibus in tempore occurrentum est reliquis Optimatis, assumto etiam in auxilium populo, pro rei exigentia. *Tolos. lib. 4. cap. 5. Altib. cap. 32.*

XXI. Oligarchiae quatuor sunt gradus. Primus est, quando eleguntur dictiores absque omni ratione prudentiae, hac tamen conditione, ut ex legibus judicent. Alter, quando civitatem invadunt & honorēs ad se rapiunt, legesque pro arbitrio constituunt, Tertius, quando electio in successionem vertitur. Quartus, quando Magistratus pro lubitu suo omnia agit & disponit. Ex his primus & tertius tolerabilis, secundus & quartus pessimus & intolerabilis est. *B. Willius cap. 6. Pol.*

XXII. Oligarchia, quamvis pessima,

ma, tyrannidi adhuc præferenda est. Ut enim facilè non omnes bonos, ita nec omnes pessimos invenire licet. Tyrannus autem ubi solus imperat, pessimorum omnium loco est. *Ibid.*

XXIII. *Arcana Aristocratica contra Monarchiam ac Democratiam*, acute perstringit inter alios *C. Lentul.* *d. Arcan. Rerump. Arn. Clapm.* in suis de *Arcan. Rerump. libris*, & ex eo *W. Heiderus Pol. cap. 6. p. 900. & seqq.*

## CAPUT XXX.

DE

### Populi statu sive Democratia.

S. I.

**P**Opuli status sive *Democratia*, est ipsius populi imperium, per Deputatos populares, secundum populi suffragia, constitutum & administratum.

tum. Keck. lib. 2. Pol. cap. 3. Schonb.  
lib. 5. cap. 3. Bod. lib. 2. cap. 7. lib. 6.  
cap. 4. Heid. cap. 6. p. 916. Arist. lib. 3.  
cap. 5. lib. 4. cap. 4. & seq. Kirchn.  
Disp. 5.

II. *Democratia*, si naturam regi-  
minis absolutam spectes, imperio-  
rum omnium est imperfectissima-  
cit. auct. In *Aristocratia* ἀριστ., h. e.  
optimi viri sedent ad gubernacula  
Reipub. In *Democratia* populus cla-  
vum impetii tenet. *Respublica* ab o-  
ptimis viris melius, quam à populo  
administratur: cum illi prudenter  
& circumspectè & non nisi præviis  
optimis consiliis accedant ad res ge-  
rendas: Hic verò sine consilio præ-  
ceps ad res agendas ruat, adeoque  
sit incertus, vagus, injustus, variabi-  
lis, in periculis timidus, in seditioni-  
bus audax & temerarius, & veluti  
bestia multorum capitum, quæ diffi-  
cultur coerceri potest. Pro Democra-  
tiæ

tiæ præstantia decertat Job. Angelus Potitianus in tract. de form. rerumpublicarum, cuius argumenta ut & aliorum collegit Besoldus.

III. Nec tamen ita est imperfecta, ut rectis imperiorum formis propterea non sit annumeranda, aut nullis omnino nationibus eligibilis (*αισχετη*) esse possit. Kech. disp. 36. q. 7.

IV. Absurdum autem non est, universos simul & parere & imperare, cum diverso fiat respectu, diversoque tempore. W. Heid. cap. 6. pag. 937.

V. Hinc autem intelligitur, quid per honorum æquabilitatem ad *ισονομίαν*, sive juris æqualitatem & libertatem, quam Democratici in ore habent perpetuò, sit intelligendum. Tolos. lib. 14. cap. 5. lib. 5. cap. 2. Bodin. lib. 6. cap. 4.

VI. Atque ad hujus æqualitatis conservationem Athenienses *Ostracismum*,

cismum, Lacedæmonii Petalismum,  
quibus graviter sæpe peccatum fuit,  
excogitarunt. *Heid. cap. 21. p. 325.*

VII. *Deputati sive Magistratus in  
Democratia ab ipso populo eligun-  
tur, constituuntur, ac armantur au-  
toritate. Heid. cap. 6. p. 939.*

VIII. *Electio hæc instituenda ex  
quovis civium ordine, nullo exclu-  
so. 1. Quia electio magis est libera si  
non ad certum civium ordinem sit  
restricta. 2. Quia in singulis civium  
ordinibus plures idoneæ personæ re-  
periri possunt, quibus imperium ci-  
vile committatur, quam in uno tan-  
tum. 3. Quia si electio fiat ex singu-  
lis civium ordinibus, singuli ad stu-  
dium virtutis magis accenduntur &  
inflammantur; & quidem eo fine, ut  
aliquando ad gubernacula Reipub.  
possint promoveri. Id autem non  
sit quando electio est limitata ad u-  
num duntaxat civium ordinem. Qui  
enim*

enim vident sibi aditum ad magistratum omnem esse interclusum , illi studium virtutis aut prorsus abjiciunt , aut saltem languide tractant,  
*Arist. 6. Pol. 2. Tolos. lib. 4. cap 5. lib. 5.  
 cap. 2.*

IX. Peragenda autem est , vel sorte , vel suffragiis popularibus : quamvis mixtura utriusque hiec in primis usui sit. *Cas. lib. 6. cap. 3. Tolos. lib. 5.  
 cap. 2. Bodin. lib. 2. cap. 7. Heid. cap. 6.  
 pag. 952.*

X. A Magistratibus sic constitutis Leges necessariæ rogantur , à populo autem jubentur. *cit. aut.*

XI. Quin à sententia horum magistratum ad judicium perpetuè appellandum. *Ibid.*

XII. Sic ut accusari hi magistratus apud populum , ab eoque dignitate privari ac morte mulctari possint. *Tolos. lib. 22. cap. 2.*

XIII. Perpetui autem magistratus

hi

hi esse non debent, sed ambulatorii,  
nisi quod tempore belli Dictatore,  
hic omnino sit opus. *Dan. lib. 6. cap. 5. Heid. cap. 6. p. 938.*

XIV. *Democratia est vel Laxior,*  
in qua omnes simpliciter & promis-  
cuè ad magistratum evehuntur, *vel*  
*Restrictior*, in qua ex omni quidem  
populari ordine fit electio, sic ta-  
men ut ratio aliqua habeatur perso-  
narum ad regimen magis idonearum,  
quæ reliquis præferuntur. *W. Heid.*  
*cap. 6. p. 919.*

XV. Ut Aristocratia, sic & De-  
mocratia est vel *Major*, cum tota ali-  
qua Provincia democraticè regitur,  
*vel Minor*, quando urbs quædam  
particularis. *Althus. cap. 32.*

XVI. De *Arcanis Democratiæ*  
cum in genere, tum contra Monar-  
chiam & Aristocratiam consulendi  
*Clapm. de arcan. Rerump. & W. Heid.*  
*Pol. cap. 6. p. 946. & seqq.*

XVII.

XVII. *Democratia ut omnium imperiorum est imperfectissima : sic & mutationibns omnium maximè est obnoxia.* Arist. 8. Pol. 10. lib. 5. cap. 1 Cas. lib. 5. cap. 5. Tolos. lib. 22. cap. 2.

XVIII. *Degenerat autem facillimè in 1. Timocratiā 2. Ochlocratiā, siveque 3. in Anarchiam.*

XIX. *Timocratiā existit, quando divites aliquot in populo rapiunt imperium ad se exclusis pauperibus.* 8. Eth. 10.

XX. *Ochlocratiā emergit, quando populus non amplius vult depudare certos, qui magistratum gerant, sed omnes simul proprii commodi causā volunt regere, nemine parente. At hoc quid est aliud quam Anarchiam inducere?* Dan. sub. fin. lib. 1. Pol.

XXI. *Anarchia nihil aliud est, quam negatio seu privatio imperii, confusionem & destructionem Republicæ secum trahens. Ideoque imperio*

perio partim contradictoriè, partim  
privativè opponitur.

XXII. Sacra Scriptura in libro Iu-  
dicij, cap. 17. causam malorum omni-  
um, quæ inter Iudæos tum grassaban-  
tur transfert in Anarchiam, quod in  
diebus illis non fuerit Rex in Israël;  
sed unusquisque quod sibi rectum  
videbatur, egerit. Imò ipse DEUS in  
ultionem maximam scelerum mina-  
tur populo Iudaico per Esaiam cap.  
13 boni Principis privationem. Unde  
Chrysostomus explicans illum lo-  
cum ait, nihil usquam esse intracta-  
bilius Repub. quæ caret Principatu;  
quemadmodum neque periculosius  
quicquam navi suo destituta guber-  
natore. Et alibi idem ait: *Prestat Do-*  
*minus aliquem etiam tyrannum habe-*  
*re, quam omnino nullum.* Unde etiam  
à Danæo lib. 1. Politicæ Christianæ a-  
phorismo 10. Anarchia Vocatur Ilias  
& Lerna calamitatum tum publicarum,  
tum privatarum.

CAP.

## CAP. XXXI.

DE

## Mixtura Imperiorum.

§. I.

**M**onarchia, Aristocratia & Democratia non solum purè considerari possunt & simpliciter, sed & quatenus inter se conjunguntur & miscentur, sicque verum, dari Imperia Mixta. Plat. lib. 3. & 4. de LL. Arist. lib. 4. cap. 9. 13. Contaren. de repub. Venet. Piccolom. grad. 10. Arnis. lib. 1. Polit. cap. 8. Alth. cap. 39. Clapm. lib. 5. cap. 20. Heid. cap. 6. pag. 982. Bellarmin. lib. 1. de Pontifice Romano cap. 1. Keck. lib. 2. Syst. Pol. cap. 4. aliisque. Dissentit Bodinus lib. II. Polit. cap. 1. Hyppol. de Princ. Tolosan. lib. 5. de Republ. cap. 1. & Melch. Iun. lib. 1. quæst. pol.

II. Mix-

II. Mixtio hæc quamvis magna  
sæpe sit, ordinariè tamen sic est tem-  
perata, ut una ex simplicibus specie-  
bus præponderet, à qua denomina-  
tio tunc desumenda.

III. Misceri inter se solent 1. Mo-  
narchia & Aristocratia, 2. Aristocra-  
tia & Democratia, 3. Monarchia, A-  
ristocratia & Democratia simul. Mo-  
narchia autem & Democratia, cum  
raro aut nunquam misceantur, hic  
non considerantur. *Keck. Disp. 36.*  
*q. 8.*

IV. Mixturæ huic legitimæ op-  
ponitur illegitima 1. Tyrannidis &  
Oligarchiæ, 2. Oligarchiæ & Ochlo-  
cratiæ, 3. Tyrannidis, Oligarchiæ &  
Ochlocratiæ simul. *Cit. aut.*

V. Monarchiæ & Aristocratiæ mix-  
tura est, ubi Princeps sic imperat &  
regit, ut tamen ipsi quoque Optimæ  
imperii partem administrent. *Ibid.*

VI. Monarchia sic temperata  
M huma-

humano generi summopere est accommodata , & mutationibus raro obnoxia. Keck. disput. 36. q. 9. Richt. axio. 57

VII. Optimates h̄ic ut non incommode Patritii , Seniores , Principes , Ordines , Status , Vindices , Custodes , Defensores , Consiliarji regii vocantur : sic Ephorum nomen non abhorrent. Al. ab. Alex. lib.6.cap.24.

VIII. Numerum Ephorum sunt, qui certum & definitum præscribant , sed dicendum , pro amplitudine & angustia Regni majorem eum aut minorem esse posse , non ternarium aut quinarium præcisè . Confer Althus. cap. 14.

IX. An autem universi Rege sint superiores anxiè disputatur ? Dicendum videtur i. Principem sua natura esse superiorem , Ephoros ex singulare

ri pacto , quatenus ipsius Principis inspectio & regni custodia ipsis est mandata, 2. Id attendendū esse quod præponderat, siveque diversimode judicandum. *Keck. h.c., & disp. 36. q. 10.* confer. *Iun. Vind. contra tyr. q. 3. Altb. cap. 1. q. Dan. lib. 6. cap. 3.*

X. Potestas Ephorum tanta hic, ut Princeps in principalibus regni negotiis nihil nisi insciis agere debeat, utque ipsum Principem coercere & abdicare possint, majori libertate quam in Monarchia simplici, quamvis tamen non temere. *Iun. Brut. l. cit. Altb. cap. 14. Dan. lib. 6. cap. 3.*

XI. Ephori sunt 1. *Generales*, quibus totius Regni tutela demandatur & inspectio. 2. *Speciales*, qui certæ tantum parti præficiuntur. *Altb. cap. 14. Dan. lib. 6. cap. 2. Brut. vind. contr. tyr. q. 3.*

XII. In mixtione Monarchiæ  
M 2 cum

cum Aristocr. si Monarchia prævaleat, imperium est Monarchicum, & Princeps recte Monarcha ac Rex dicitur: si Aristocracia, est Aristocraticum, & Princeps non tam re, quam nomine Rex est.

XIII. *Aristocracia & Democracya Mixtura* est, ubi Optimates ita regunt, ut simul ipse quoque populus imperitet. *Keck. Syst. Pol. lib. 2. cap. 5.*

XIV. Hæc temperies civitatibus sive Urbibus accommodatissima esse videtur, indeque *κατ' εξοχων Status Urbium* (*Stadt Regiment*) dici solet.

XV. Videndum autem in primis Civitatibus, 1. ut in recipiendis & fo vendis peregrinis faciles sint, sicquè multiplicent cives. 2. ut Privilegia, quæ anima sunt civitatum, strenue defendant. *Bod. met. hist. pag. 261.*

XVI. In hac mixturâ, si Aristocratis præponderet, Imperium fit Aristocraticum: si Democratia, Democraticum, quidquid sibi arrogent Optimates.

XVII. *Monarchia, Aristocracia & Democratiæ mixtio* est, ubi Princeps, Optimates & Populus suo modo simul regnant. *Keck. Syst. Pol. lib. 2. cap. 6.*

XVIII. Mixtio hæc, cum contineat omnem imperiorum formam, plurimis locis & Rebus p. est accommodata, indeque *Respublicæ* dicuntur, ubi hæc mixtio apparet. *Keck. disp. 36. q. 11.*

XIX. Hoc tamen non obstante & hic denominatio sumenda à parte prædominante.

XX. Ad particularem autem harum mixtionum, singulorumque Imperiorum naturam *Politica Generalis*

M 3

non

264 IDEA POLIT. CAP. XXXI.

non descendit, sed *Specialis*, quæ ex libellis de Rebus p. petenda. Simul Idea finem impono, Deum humillime veneratus, quod indigno suo ser-  
vo vires concederit ad hanc absolu-  
vendam. Ei sit laus, honos, &  
gloria in secula seculo-  
rum, AMEN.

F I N I S.



IN-



# INDEX

Capitum & Titulorum,  
qui h̄ac Ideā continen-  
tur.

## C A P U T I.

I. De Politica in genere.	Pag. i
II. De Virtute primo vita Civilis Rectorē	9
III. De Prudentia altero vita Civilis Rectorē	14
IV. De Imperio seu societate Imperii in genere.	22
V. De Principatu in genere, ac illegi- timis eum capiendi modis.	31
VI. De legitimis capiendi Principatus modis, sive de Electione & Succes- sione.	41

M 4

VII.

# INDEX.

- VII. De administrando Principatu per  
Virtutem & Prudentiam. 50
- VIII. De Justitia Principis ac Legi-  
bus. 57
- IX. De Clementia & Fide Principis. 63
- X. De Modestia, Liberalitate &c. Prin-  
cipis. 69
- XI. De Prudentia Principis Mutuati-  
tia, sive de Consiliariis. 78
- XII. De Consiliis Officioque Principis  
in audiendis Consiliis. 89
- XIII. De Administris itemque Lega-  
tis. 97
- XIV. De Prudentia & Cura Princi-  
pis circa Religionem. 105
- XV. De Prudentia Principis in rebus  
humanis. 112
- XVI. De Auctoritate Principis. 119
- XVII. De Prudentia Principis cir-  
ca causas evertentes Principatus.  
128
- XVIII.

## INDEX.

- XVIII. *De Vitio sive altera causa evertente Principatum.* 134
- XIX. *De Fraudibus: An cum Prudentia Principis consistant.* 146
- XX. *De Prudentia Militari in genere, & modo recte suscipiendi Bellum.* 152
- XXI. *De Belli gerendi requisitis, in specie de Dilectu Militum.* 159
- XXII. *De disciplina Militari & Bello- rum Ducibus.* 167
- XXIII. *De Confiliis Bellicis & Strata- gematis.* 178
- XXIV. *De Victoria & Clade Modoque finiendi Bellum per Pacem.* 185
- XXV. *De Bello Civili in genere deque Factione & Seditione.* 192
- XXVI. *De Tyrannide, Modoque fini- endi Bellum Civile.* 198
- XXVII. *De Parentibus seu Subdi- sis.* 205
- XXVIII. *De Subditorum Officio.* 228

M 5

XXIX.



## I N D E X.

- XXIX. *De Optimatum statu, sive de Aristocratia.* 243  
XXX. *De Populi statu, sive Democrazia.* 250  
XXXI. *De Mixtura Imperiorum.* 258.

F I N I S.



SPE-



# S P E C U L U M P O L I T I C U M,

In quo exhibentur  
Nobilissimæ & Selectissimæ  
Quæstiones breviter tra-  
ctatæ.

## Q U Æ S T I O P R I M A.

**A**N jus publicum in Academiis tra-  
ctandum? Aff Quia sanioris ju-  
dicii gentes jus publicum non negle-  
xerunt. Non solum Græci, sed & Ro-  
mâni & tandem omnes, juris publici  
studium amarunt, deque iis, quæ ad  
Reipublicæ administrationem faci-  
unt ingeniose disputando & scriben-  
do, jus publicum posteritati ulterius  
elaborandum reliquerunt.

M 6

II. An

## SPECULUM

II. *An Politica à jure publico differe-  
rat?* Aff. Quia Politica certo jure  
certisque legibus definita non est, sed  
ut generalior jure Publico officium  
suum in Reipublicæ administratione  
præstat largius. Jus publicum verò  
certis legibus firmatum est & tradi-  
tum, ac consistit imprimis in Aurea  
Bulla, Recessibus Imperii, Impera-  
toriisque Capitulationibus. Ut bre-  
viter dicamus: Politica est illa ipsa  
disciplina à Politicis Scriptoribus si-  
ne Legum authoritate tradita, jus  
Publicum verò: quod ad statum rei  
Romanæ spectat, §. 4. *Instit. de Jüst.  
& Jur.* & certo jure certisque legibus  
determinatum est.

III. *An Imperium Romanum sit  
Monarchia?* Aff. Quia Imperator  
multa Majestatis jura solus habet.  
In aliis Majestatis juribus Imperator  
Principum consensum requirit, in a-  
liis, quæ reservata Principis dicun-  
tur

## POLITICUM.

tur, ipsi soli licet decernere, quo respectu absolutam & perfectissimam potestatem disponendi habet; solus de Feudis, Imperio immediate subjectis, cognoscit, *Aur. Bull. c. 7. fin.* ita ut, vacante Imperio, ne Vicariis quidem liceat cognoscere & conferre. Solus Imperator civitatis jura, Academias condendi jus dat, solus Reges & Duces creat, atque alios honores & privilegia confert, quæ Regalia cū Principibus collectim sump-tis sint denegata, Aristocratiā e-vertunt, & Majestatis certissimum indicium sunt.

IV. *An peregrinus habitus & fre-quens vestium mutatio in Republica Christiana tolerari possint?* Neg. Quia est signum inconstantiæ, tessera levitatis, argumentum futuræ mutatio-nis, hirudo opum, ac reipublicæ ta-bes.

V. *An summo Magistratui bona-subdi-*

## S P E C U L U M

*subditorum vi diripere liceat? Neg.*  
Quia summi Magistratus potestas ju-  
stitiæ ponderibus semper exigenda  
est. Ideoque nihil ei licitum est face-  
re, quod justitiæ adversatur. Unde  
rectè Plinius Junior in Panegyrico ad  
Trajanum Augustum ait. *Ut felicita-*  
*tis est posse, quantum velis : sic magni-*  
*tudinis velle, quantum possis.* Ex qui-  
bus verbis colligitur, nihil summum  
Magistratum posse, quod natura tur-  
pe est aut injustum.

**VI.** *An Principem venari deceat?*  
Aff. Quia venatio maxime utilis est.  
Multa ex venatione commoda Prin-  
ceps percipit, & quidem (1) æcono-  
mice, dum jucunda ferinæ varietas  
Principum mensas ornat; (2) Physi-  
cè, dum venationis exercitio con-  
coctio promovetur, calor naturalis  
ex moderata motione temperatur, ut  
corporis constitutio vegetior & ro-  
bustior reddatur, & sanitas conser-  
vetur.

## POLITICUM.

vetur. Nam inter exercitationes corporis ad sanitatem multum conferre scimus, venatio moderata præstat arti athletica, saltatione, cursu, globorum jactu, pilæ lusu, atque aliis, anhelitum & nimiam alterationem excitantibus, quippe quæ corpus suaviter exerceat, animum oblectat, labores mirifica voluptate, & laudis cupiditate temperat, corporis robur & agilitatem animique vigorem auget, sensus acuit, oculos variatum rerum objecto pascit, aures avium dulci cantu, clamore & sonitu ad spem prædæ erigente explet, nates suavi odore & aëris puritate afficit, ut difficile sit judicare, majorene sit corporis, an animi voluptas. (3) Ethicè. Venatio Principem ab otio ad negotium, ad agilitatem componit, & moribus Principe dignis instruit. (4) Politicè. Venatio Principem reddit ad varios casus intentum & cautum,

## SPECULUM

tum, ad fortitudinem disponit, dum venatio maximam cum rebus belli-  
cis similitudinem & cognitionem  
habet, ut tædia belli heroico animo  
superare discat Princeps, nec cœli  
inclemens, siti atque aliis bello &  
venationibus communibus tædiis se  
frangi patiatur.

VII. *An Princeps possit exautho-  
rare Pastorem?* Potest, 1. si sit insa-  
nabilis, 2. seditiosus, 3. si Ecclesiæ  
scandalum præbeat. Potest, inquam,  
exemplo Salomonis deponentis A-  
biatharum. 1. Reg. 2. v. 26. & 8. v. 2.

VIII. *An duellum Christiano lice-  
at?* Neg. Quia Virtutibus bellum in-  
dicit. Adversatur duellum (1) *For-  
titudini*, dum duello dimicantes se  
conjiciunt in periculum supra ho-  
minem, æternæ scilicet damnatio-  
nis, & audaces sunt, non fortes, suis  
affectionibus ingulgentes. (2) *Mansue-  
tudini*, dum iræ suæ non modum ser-  
vant,

## POLITICUM.

vant, sed furore & insano impetu agitati, vitæ hujus, & æternæ periculum subeunt. (3) *Justitiae*, dum in iræ furore delicti & pœnæ nulla est æqualitas, quam justitia exigit, pœna major est delicto, ob injuriam verbalem hominis cædem intendunt. (4) *Modestiae*, dum ex proximi ruina gloriam sibi quærunt. (5) *Prudentiae*, dum stulto conatu mortis periculum præferunt judicis sui sententiæ. Non voler morire bisognando è vilità, e voler morir senza bisogno è pazzia.

IX. *An securitas sit in bello fugienda?* Aff. 1. Quia frequentissimum initium calamitatis est securitas. 2. Quia ex contemptu hostis oritur securitas. Is autem est valde periculosis & noxious. Idecò rectè ait Curtius lib. 6. Nihil tutò in hoste despicitur: quem sp̄reveris, valentiorēm negligentia efficies.

X. *An Mare sit liberum?* Aff. 1.

Quia

## S P E C U L U M

Quia est liberum jure divino. Mare  
Dei est, non hominis cuiusquam.  
*Psal. 65. 6, 8.* sola terra hominibus da-  
ta est, *Psal. 115. 16.* 2. Quia liberum  
est jure civili. Jus civile mare libe-  
rum in nullius dominio esse pronun-  
ciat, §. 2. *Inst. de R. D. l. 13* §. ult. ff. de  
injur. l. 14. ff. de acq. rer. dom. l. 13. ff.  
de const. Princ.

XI. An bellum prius sit indicandum;  
quam gerendum? Aff. 1. Quia Scri-  
ptura sacra præcipit belli indictio-  
nem *Deut. 20.* Si quando accesseris  
ad expugnandam civitatem, offeres  
ei primum pacem: si receperit, & a-  
peruit tibi portas, cunctus populus,  
qui ibi est salvabitur & serviet tibi  
sub tributo: Sin autem fœdus inire  
noluerit & cœperit contra te bellum:  
oppugnabis eam: 2. Quia Romani  
hanc olim semper observarunt con-  
suetudinem, ut antequam bellum in-  
ferrent, illud indicerent iis, à quibus  
factas

## POLITICUM.

factas esse injurias sciebant. Hinc mittebant speciales Legatos res repetitum, qui si postulata impetrassent, foedus cum iis feriebant: sin minus, re deliberata bellum indicebant.

XII. *An Imperator sit superior Papa?* Aff. Quia Majestate nihil superius est, Majestas neminem, nisi Deum, superiorum agnoscit, & jure Majestatis Imperator Romanus utriusque tabulæ custos, & Reipublicæ Romanae caput, & Ecclesiæ nutrix est, Deut. 17. 19. Jos. 8. 1. Chron. 13. & quia Papa Majestatis incapax est, Majestati obsequium debet.

XIII. *An taxatio rerum communistarum Mercatorum arbitrio sit permittenda?* Neg. 1. Quia mercatores sunt avari plerunque, φιλοκερδεῖς & fallaces. 2. Quia plerunque tantum petunt & accipiunt pretium pro suis rebus, quantum ab ementibus extor-  
que-

## S P E C U L U M

quere possunt, nullo habitu respe-  
ctu ad leges justitiae commutativæ.

XIV. *An expeditio in Turcam susci-  
pienda?* Aff. Quia est maximè ne-  
cessaria. Vidimus hactenus, quomo-  
do Turca intra aliquot secula Chri-  
stianorum vires carpserit, sua bella-  
tam caute gesserit, ut unicum saltem  
hostem, Imperatorem, Polonum,  
vel Venetos sit aggressus, semperque  
aliquid suo Imperio adjiciendo no-  
stras vires exhauserit, ut taceam,  
quod nostras naves semper spoliet;  
Si igitur his malis in tempore non  
occurremus, vereor, ne nimia illa  
indulgentia in magnum aliquod ma-  
lum evadat, ne aliquando Turcæ po-  
tentia, indies crescendo, nostram  
spem, admirationem & vires exce-  
dat. Melius & tutius igitur erit  
malo, quod crescens ejus potentia  
toti Christianorum orbi minatur,  
in tempore, te adhuc integra occur-  
rere

## POLITICUM.

rere & prævenire, quam præveniri,  
ut, si vincere non possumus, petu-  
lantiæ ad minimum frenum injicia-  
mus; à meschant chien court liens;  
Si Christianus orbis nunc viribus in-  
tegris nihil contra Turcam poterit,  
exhaustis tempore minus poterit.

*Qui non est hodie, cras minus aptus  
erit.*

XV. *An expeditat Reipublicæ the-  
sauros colligere & conservare?* Aff. 1.  
Quia tempore necessitatis Rempub.  
relevant indictionibus tributorum  
extraordinariorum, quibus subditū  
gravantur. 2. Quia sicut in corpore  
humano nervi sunt prima instrumen-  
ta sensus & motus: Ita in corpore  
civili thesauri publici sunt prima  
instrumenta actionum civilium.

XVI. *An quæstio violenta sit bonum  
juris remedium?* Aff. 1. Quia hoc re-  
medium est à summo Magistratu  
constitutum. Non casu, sed præme-  
dita-

## S P E C H L U M

ditato consilio hoc remedium quæ-  
stionis est inventum, & Imperatoris  
autoritate confirmatum. Peinliche  
Halsger. Ordnung. art. 58. 2. Quia  
quæstio Reipublicæ utilis est. Reip.  
interest scelera puniri, hoc autem  
beneficio neglecto, multa scelera,  
dum plerique scelerum magistri non  
adhibeant testes facinori perpetran-  
do, impunita, non sine Reipublicæ  
detrimento, & gravissima Dei, scele-  
rum vindicis acerrimi, offensione re-  
linquerentur. l. 51. ff. ad L. Aquil.

XVII. *An Judici avaritia, mune-  
rumque captatio sit fugienda?* Aff. 1.  
Quia sacra Scriptura non tantum  
prohibet, ne Judex munera capiat;  
sed etiam gravissimam poenam ei mi-  
natur, qui accipit. Exod. 23. Deut. 16.  
Esaiæ 5, § 10. Eccles. 20. 2. Quia histo-  
riæ testantur omnibus seculis non  
tantum graviter punitos esse Iudices,  
qui muneribus se corrupti passi  
sunt.

POLITICUM.

sunt. sed etiam laudatos Reges & Principes, qui in illos animadverterunt.

XVIII. *Quisnam inter homines omnium primus fuerit Monarcha?* Nos cum Johanne Sleidano, Temporio, Philippo Melanth. Nimrodum primum Monarcham post diluvium facimus: qui potens factus est veneratione coram Jehova, hoc est, potentiam acquisivit, dum robore corporis & animi homines sibi subjecit.

*Gen. 10. 8. 9.*

XIX. *An Princeps concedere debeat, ut defuncti in urbe sepeliantur?* Aff. I. Romani olim defunctorum corpora in ædibus suis habuerunt in doliiis & fasculis reservata. Unde post ortum est, ut lares & Dii domèstici superstitione quadam colerentur; & in ipsa urbe campus fuit Esquilinus publicis sepulturis destinatus. *Alexand. ab Alex. lib. 3. cap. 2. 2. Lycurgus Legislator*

## S P E C U L U M

tor Spartanorum Rex cives suos in  
urbe sepeliri voluit, hanc ob causam,  
ut adolescentes mortem non metue-  
rent auctoritate affuerent. *Plutar.*  
*in vita ejus.* 3. Et haec exempla ante  
400. annos Monachi Franciscani &  
Dominicani, ac præsertim quos men-  
dicantes vocant, renovarunt, quæ-  
stum & lucrum turpissimum ex sepul-  
turiis mortuorum in Templis quæ-  
rentes, ita ut quidam non male dixe-  
rit, nullam artem acquirendæ pecu-  
niæ esse probatiorem quam Mona-  
chorum. Diligenter quoque Princeps  
procurabit, ut coemiteria, sepulturæ  
& monumenta pro sanctis & invio-  
latis habeantur, juxta legē quæ in ju-  
re civili habetur in ff. l. 17. tit. 12. de se-  
pulchr. violator. Ubi jura sepulchrorū  
violatorum actionem instituunt; &  
hanc infamiam irrogare volunt. Sic  
sepulchrorum violatorum Paulus  
JCtus pœnas statuere jubet, si corpora  
ipsa

## POLITICUM.

ipsa extraxerint, vel ossa eruerint: ita ut humilioris fortunæ summo suppicio afficiantur: honestiores in Insulam deportentur aut alias relegentur, aut in metallum damnentur,

XX. *An nuptiarum festivitates concedenda?* Aff. 1. Quia nuptiarum festivitates Deo placent. Christus eas non solum sua gratiosa præsentia rata habuit, sed etiam miraculo ornavit, vino largo auxit & quando Deus suis poenam minatur, etiam se factum dixit, quod minus jubilus & cantus Sponsi & Sponsæ audiantur, *Jerem. 7. 34. c. 16. 9. cap. 25. 10. Psalm. 78. 63.* Imo vitæ æternæ gaudium per nuptias adumbratur, *Apoc. 19. 7. 2.* Quia in V. & N. T. nuptiæ apud pios in usu fuerunt. Rebeccæ nuptiæ factæ sunt, *Gen. 24. 54. Simsoni, Judic. 14. Tobiae à Raguel 14. dies, à Tobia patre 7. dies, Tob. 8. 17. c. 11. 20. imo Abraham*

N

ham

SPECULUM

ham etiam ablactationis diem con-  
vivio honestavit, *Gen. 21.8.*

XXI. *An recte Academiarum  
Rectores & Principum Consiliarii di-  
cantur Magnifici?* Non videtur: quia  
tamen consiliis magnis rem juvare  
publicam, isto honoris titulo recte  
ornantur. Hinc Tribonianū vocat Im-  
perator Magnificum in *proæm. Instit.*

XXII. *An tituli Academicī sint ne-  
gligendi?* Neg. Quia titulus Acade-  
micus est publicum eruditionis testi-  
monium. Publica summi Magistra-  
tus autoritate confertur, & à Lo-  
thario II. Imperatore excogitatus est,  
ut studii longi tædia præmii dulcedi-  
ne redimantur, & animi ad literarum  
studia propaganda erigantur & con-  
firmantur.

XXIII. *An cæcis iudicandi potestas  
sit committenda?* Pro ipsis objici po-  
test: i. Jus civile quod lib. 5. digest. tit.  
affirmat, cæcum posse exercere judi-  
cium,

## POLITICUM.

cium. 2. Exemplum Apii apud Romanos , & Timoleontis apud Corinthios , quorum uterque fuit cæcus : & tamen Judicis officio bene functus est. 3. Ratio, quæ docet cæcos ingenio valere , omniaque intentius contemplari : cum neque objectis impedian- tur , neque affectibus ita , ut alii mo- veantur.

XXIV. *An ullo modo licitum est ju-  
stum sit , seipsum interficere ? Neg. I.  
Quia nemo sui juris est. Ideoque  
neque jus habet interficiendi seip-  
sum. 2. Quia , qui sponte & delibera-  
to animo seipsum interficit , à Ma-  
gistratu puniri solet partim infamiae  
irrogatione , partim sepulturæ hone-  
stæ privatione. 3. Quia idem testatur  
ænigma Philolai Pythagorici : *Ne di-  
vidas in via lignum* , hoc est , ne in vi-  
tæ curru animam à corpore secessas.  
Et rectè Plato in Phædone ait : *Cum  
anima sit nobis à Ditis in custodiā tradi-  
ta , nemo per vim eam extrudere debet.**

S P E C U L U M

**XXV.** *An ebrius flagitium committens graviori pœna sit afficiendus, quam si sobrius id commisisset?* Aff. Quia in ebrii potestate primò fuit nō inebriari, ut docet Aristoteles lib. 3. Eth. cap. 5. 2. Quia Pittacus Mitylenensis unus ex septé sapientibus Græciæ ebrios, si peccaverint, duplii pœna afficiendos esse censuit; una propter ignorantiam, quæ crassa est & supina; altera ob culpam commissam, ut testatur Aristoteles lib. 2. Polit. cap. 10. & Laertius lib. 1. cap. 5. Hinc etiam Mahometi lex est, ut ebrius 80. iictibus puniatur. 3. Quia Athenienses ebrietatis actionem instituerunt, & Oenoptas etiam ordinarunt, qui inconviyiis observarent, quid quisque biberet.

**XXVI.** *An Cambium in Republica bene constituta sit permittendum?* Aff. I. Quia Cambium nihil aliud est, quam permutatio pecuniæ cum pecunia. Dicitur enim à verbo Cambire, quod signi-

## POLITICUM.

significat permutare. Unde etiam Germanicè dicitur Wechsel. 2. Quia ipsa necessitas & indigentia humana ejus usum introduxit: partim ne propter diversum monetæ in diversis locis & regionibus valorem homo cogatur, damnū pati: partim ut viatores peregrinam monetam secum afferentes possint beneficio Cambii necessaria alimenta & subsidia vitæ sibi comparare: partim ut mercatura in peregrinis locis eo commodius & securius possit exerceri: partim ne peregrinantes ob pecuniā, quam secum portant, in periculum incident.

XXVII. *An eo animo invadere alienum imperium liceat, quo dominatio auctior fiat?* Nos negativè respondeamus, quia sic qui agunt, publicum latrocinium profitentur.

XXVIII. *An subjectio Magistratui infideli vel heretico sit praestanda?* Resp. Ita: sive quis sub eo natus sit, sive sub eo vixerit, sive in potestate ejus quo-

## SPECULUM

vis modo fuerit redactus: idque primum propter mandata Dei *Rom. 13.1.*  
*1.Tim. 2.2.1. Pet. 2.13.* & alibi. 2. Israëlitæ ita Pharaoni fuerunt subjecti, ut non nisi ejus concessione ex Ægypto migrare voluerint. 3. Iussu Dei Israëlitæ Regi Babylonizæ subjecti fuerunt, *Jerem 27.* 4. Christus, & Christiani ejus exemplo, Romanis Imperatoribus subjecti fuerunt, ut historia Ecclesiastica testatur; imò Christiani vel Juliano Apostatæ subjecti fuerunt.

XXIX. *An emtio alicujus territorii bonus Reipub. augenda sit modus?* Aliis negativa sententia placuit, nobis autem affirmativa magis arridet. Ea enim quæ titulo emptionis possidentur, illæsâ conscientiâ possidentur.

XXX. *An aulica functio bona?* Aff. I, Quia aulica functio Deo non displacebit. Si Princeps bonus Deo placet, aulicus bonus, sine cuius consilio & ministerio Princeps esse nequit, Deo nō potest displicere, sicut nobilissima arborum

## POLITICUM.

borum vitis ignobilium arboretum  
auxilio & fulcris non potest carere,  
ita nec Princeps ministerio. 2. Quia  
aulica functio Reipublicæ est utilis &  
necessaria. Aulici sunt oculi, aures,  
& lingua Regis, quorum ministerio  
& consilio Rex pius carere nequit, &  
quia pius aulicus omnia sua consilia,  
labores, & cogitationes eo dirigit, ut  
Reipublicæ inferviat, merito omni-  
bus Reipublicæ bene cupientibus  
magni sit.

XXXI. *An publicæ meretrices ju-  
stè possint mercedem actus petere?* The-  
sin affirmativam defendunt Jesuitæ &  
inter eos Gregorius de Valentia *tom.  
3. disp. 5. quest. 6.* hanc sententiam pro-  
pugnat, dicitque ferè esse omnium  
Theologorum (meretrici Babylonicæ  
addictorum) nominatim autem citat  
pro se S. Thomam, Cajetanum & a-  
lios. Sed meretricum hoc dogma se-  
quente refutamus fundamento: Cui-  
cunque poena debetur vi iustitiae di-

## SPECULUM

tributivæ, illi non debetur merces. Jam verò actui meretricio poena debetur vi justitiae distributivæ. Ergo. Major est manifestæ veritatis. Minor rem probo. Nam justitia distributiva vult, ut virtuti & virtuosis actionibus præmiū, vitiis verò & vitiosis actibus poena constituatur. Tantum ergò abest, ut justè possit mercedem actus pertere aut recipere, ut hoc ipsum potius vel maximè justitiae sit contrarium.

*XXXII. An Sacerdotes matrimonia contrahant?* Aff. i. Quia Deus conjugium inter homines constituit, nec ordinatio humana est. Conjugium est sanctissima Dei ordinatio, in qua castitas, puritas & sanctificatio, t. Cor. 7.14. 1. Thess. 4.4. Hebr. 13.4. 1. Petr. 3. 1. 2. 3. instituta à Deo jam ante lapsum, cum homines in summa felicitate & sanctitate, absque omni labore viverent, ob mutuum adjutorium, & sobolis procreationem. Non sufficit, nos Deo cultum exhibere, sed etiam

## POLITICUM.

iam operam demus, monente Plato-  
ne lib. 6. de LL. ut Deo cultores relin-  
quamus, per quos Ecclesia propage-  
tur cœlumq; credentium numero au-  
geatur. 2. Quia conjugium innume-  
rabilia commoda adfert. Conjugium  
plura habet commoda in recessu,  
quam in fronte promittit, est semina-  
rium Reipublicæ, officina hominum,  
humano generi perpetuitatem dans  
atque conservationem, unde omnes  
societates, quotquot sunt, tanquam  
ex uberrimo fonte fluunt. Conjux in  
adversis succurrit, in prosperis gau-  
dium duplicat;

*Fidior est socius, & fratre fidelior  
uxor,*

*Et vincit matris candida nupta  
fidem:*

Wat hy begint / dien men bemint / oock  
wat hy doet / het is all goet. Conjux  
bona cui est, felix est, vitam mulier-  
longiorem & suaviorem promittit,  
*Syrach. 26. Prov. 31. toto capite bona*

N 5 mu-

## SPECULUM

mulier commendatur. Quanta gaudia parentes ex bene natis & educatis liberis capiant, nec mens mea capere, nec calamus exprimere potest, personataures meas vox illa Tobiæ matris, peregrinantis filii desiderio æstuantis, felicemque redditum optantis: Cur te misimus lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis, solarium vitæ, þem posteritatis? Tob. 10.

XXXIII. An Magistratus de recta liberorum procreatione, educatione & institutione debeat esse solicitus? Aff. Quia honesta procreatio liberos reddit honestos, confidentes & animosos: sicut contra inhonestam reddit in-honestos & opprobriis per totam vitam obnoxios, eorumque animos de-jicit & deprimit. Idcirco Euripides in Hercule furente ait, malè agi cum iis liberis; quorum generationis fundamen-tum non benè est jactum.

XXXIV. An consultum sit Reipubli-ca leges veteres mutare, & novas sur-roga-

POLITICUM.

rogare? Neg. 1. Quia veteres leges mutare secundum Platonem perinde est ac Hydræ capita præcidere. Et secundum Thucydidem, tutissimæ sunt Republicæ, quæ quam minimum in legibus veteribus mutant: etiam si habeant aliquid vitii. Hinc Solon, cum videret quantis cum periculis mutatio legum & status Reipublicæ conjuncta esset: adegit senatum ad juramentum, quo pollicebatur sancte se servaturum esse leges, à Solone latae. Et Lycurgus obstrinxit cives juramento, ne mutarent leges usque ad suum reditum. Rectè etiam Menander ait: *Leges patrias sequi est pulchrum.* 2. Quia ad civitatum otium & ad concordiam stabiliendam, nihil perinde conducit atque veterum legum morumque conservatio. Et hoc testatur etiam versiculus ille Veteris Poetæ memorabilis:

*Moribus antiquia res stat Romana  
virisque.*

N 6

XXXV.

## S P E C U L U M

XXXV. An linguarum studium flor-  
rentissima Iuventuti sit necessarium &  
utile? Aff. Quia omnibus seculis stu-  
dium linguarū, in magno pretio fu-  
it habitum & diligenter exaltum.  
Hinc legimus Romanorum filios ad  
Rempub. aliquando accessuros pri-  
mò Hetruscam linguam, post Græ-  
cam didicisse. Et de Mithridate Rege  
narratur, quod duas & viginti lin-  
guas calluerit, illorum scilicet popu-  
lorum, quibus imperabat. De Carolo  
etiam Magno scribitur, quod Græcæ  
linguæ adeo fuerit deditus, ut Ipse  
Græcos Legatos audiverit & his Græ-  
cè responderit. Idcirco etiam aurea  
Bulla per Carolum IV. Imperatorem  
facta jubet, Electorum filios successo-  
res discere linguam Græcam, Lat-  
inam & Illyricam, quò cum multis  
gentibus sermonem communicare  
possint.

XXXVI. An melius sit Principem  
esse

## POLITICUM.

esse simplicem, quam callidum? Machiavellus Politicum definit, quod constet ex fraude & astutia. Unde etiam l. i. de Republ. c. 42. in tract. de Principe c. 19. in Principe requirit, ut subditos versare sciat, quo eos fraude circumveniat. Verum nos absolutè loquendo neutram h.e. neque simplicitatem neque calliditatem in Principe requirimus, sed prudentiam, quæ est Regni oculus; Verum in sensu comparativo potius eligendam calliditatem quam simplicitatem statuimus. Quia praxis ostendit, illam Principati magis esse utilēm quam hanc. Sed tamen hoc more Machiavellano intellectum nolumus.

XXXVII. An Rex electus superior Statibus? Aff. 1. Quia omnia Reipub. membra Majestati sunt subjecta. Satus qui non sunt extra Rempublicam, æque ac alii subditi obsequium Majestati debent. 2. Quia Status Regi juramen-

to

S P E C U L U M

to fidelitatis & subjectionis sunt ob-  
stricti. Homagium præstitum certissi-  
mum subjectionis indicium est.

XXXVIII. *Quales Professores in  
Acadamia juventuti studiose à Magi-  
stratu Politico sint præficiendi?* Resp.  
Tales, qui sunt 1. solidè docti, vere-  
què pii ac probi. 2. Qui morum inte-  
gritate sunt prædicti, ne vita ipsorum  
à doctrina discrepare videatur. 3. Qui  
doctrina solida & non ventosa aut  
circumforanea sunt instructi. 4. Qui  
methodum bonam, hoc est, perspicu-  
am facilem & brevem in docendo ad-  
hibent. 5. Qui neque austeros & acer-  
bos, neque nimis blandos sese erga  
Auditores præbent: cum illud odi-  
um; hoc contemptum pariat.

XXXIX. Coronidis loco & hanc  
quæstionem addo; *An alicubi inveni-  
antur gentes caudatae?* Ita videri pos-  
set, namque Plin. lib. 7. Nat. Hist.  
cap. 22, refert in India homines nasci  
cauda

POLITICUM.

cauda villoſa, pernicitatis eximiæ. & Paulus Venetus lib. 5. ſuæ peregrinationis cap. 18. teſtatur in regno Lambri, inveniri qui caudas habent ut canes, longitudinus unius palmi, & bos in civitatibus non habitare, ſed in montibus: In iſula Nemaneg maris Orientalis, gens eſt caudata, ex Geographia Arabica Nubiensi pag. 70. Quanquam autem Cardanus lib. 18. de Subtilit. refert puerum quendam in ſylvis Misniæ à feris educatum, non tantum ferinos induiſſe mores, vultus & ungues, ſed etiam caudam emiſſe; & Albertus Magni, lib. 22. de Anim. tract. 1. cap. 1. teſtatur ſuæ atate in quadam Germaniæ ſylva duos homines caudatos natos fuuisse; & denique Bartholinus libel. de Oſſib. cap. 15. meminit pueri Danici, cui cauda excreverit: falſum tamen eſt, ullibi in quo terræ Angulo gentes caudatas inveniri. Quod vero vul-

## SPECULUM

vulgo de Anglis, quasi per maledictionem Augustini Gregorii M. Apostoli, caudam acceperint; vulgo refertur, fabulosum per omnia habendum est: frustaque sunt, qui existimant illis os coccygis aut esse elatius, aut longius. Convitium inde ortum videtur, quod quidam in Dorcestria Augustino, reliquisque ejus sociis in contumeliam tairarum causas in vestibus assuetint, quemadmodum ex Guil. Neubrigensi in Chronico suo notat Genebrardus: quod ab iis forte, qui emissariis Gregorii obfistebant, admodum convitii reliquis objectum, toti genti paulatim applicati cœpit. Probabiliora hæc videntur, quam quæ habet Joannes Major lib.2. de Gestis Scotorum cap. 9. ubi ita; Ad Dorcestriam transiens Augustinus, iti Angliam à S. Gregorio Magno missus, verbum Dei evangeliare cœpit: sed contra vitum Dei piscaum caudas vulgus irrisorie projectit;

## POLITICUM.

cit; quare Numen supplex Augustinus implorat, quatenus illius loci parvuli caudati in peccati pœnā nascentur, & quatenus moniti addiscant non temnere Divos. Et propterea, ut Anglorum annales recitant, parvuli caudati nascebantur. Ab influentia igitur cœli has caudas minimē habent. Nec in hac tempestate homines caudatos illis nasci arbitror, sed ad tempus, ut fidem Doctori gens incredula daret, hæc pœna inflicta est. Scotis, & Gallis oppositum assentibus haud assentior. In Hispania quoque fertur aliam gentem hujusmodi fuisse. Hactenus ille. Ut vero pueru Danico, teste Bartholino l. d. cauda videbatur enata esse ob majorē ossium & cartilaginum numerum in osse coccygis; ita nonnunquam accidit, ut fætui aliquid adhæreat, caudam quasi referens: quomodo Weirichius comment. de Monstris, me-

ni-



## S P E C U L U M

minit pueri Cracoviæ in Polonia an-  
no 1594. nati, de cuius dorso pepen-  
derit serpens vivus , eum mortuum  
adhuc rodens. Accidere autem hoc  
videtur propter morbum, quo gravi-  
da fœmina laborat. Si enim portio  
quæ embryonis putrefacta originem  
serpentis tribuerit, is jam absolutus  
adhærere potest reliquæ parti, adhuc  
integræ. Sic Plin lib. 9. Nat. Hist. cap.  
69. asserit in Ægypto decrescente Ni-  
lo ( quod stato quodam tempore fit )  
exiguos mures reperiri , inchoato o-  
pere genitalis aquæ terræque , ex qua  
parte corporis viventes, novissima ef-  
figie etiamnū terrena. Quod suavissi-  
me describit Ovidius lib. 1. Metam.

*Si: ubi deseruit madidos septemfluvius  
agros*

*Nilus, & antiquo sua flumina reddi-  
dit alveo,*

*Æchereoque recens exarsit fidere-  
limus,*

*Plurima cultores versis animalia  
glebis*

*In-*

POLITICUM.

Inveniunt, & in his quadam modo  
cæpta per ipsum

Nascendi spatium: quadam imper-  
fecta, suisquè

Trunca vident bumeris; & eodem  
corpore sœpe

Altera pars vivit; rudit est pars al-  
tera cellus.

His quæstionibus ita breviter decisis,  
jam finem facio. Quod si laborem  
hunc meum fructuosum ipse sensero  
& à viris doctis approbari, est cur  
mihi gratuler, & DEO tanquam pri-  
mo omnis boni auctori gratias a-  
gam. Sin res aliter, præter opinio-  
nem & expectationem ceciderit; con-  
fido tamen, neminem tam iniquum  
instituti mei censorem esse, qui non  
animus saltem meum & promptam  
in juvando bono publico volunta-  
tem approbatione & commen-  
datione dignam sit judi-  
caturus.

•(8):(0):(8)•

LECTO-

LECTORI ÆQUO ET BE-  
NEVOLO, AUTHOR SAL.

Quum hoc multorum eximiorum  
librorum, qui typis exscribun-  
tur, fatum sit, ut errata plurima, ip-  
se Argus licet astiterit, irrepant; ve-  
niam dabis, quisquis hæc legis, par-  
tim mihi occupatissimo, partim e-  
tiam illis, qui prælo operam suam lo-  
cavere, hi enim dum diei constitutū  
laborem implere laborant, ut pluri-  
mū festinant magis, quam properant.  
Macrobius lib. 5. Saturn. c. 3. tria enar-  
rat olim habita fuisse impossibilia:  
Subtrahere Herculi clavum, Jovi ful-  
men, Homero versum; quod si hoc  
tempore in vivis esset, quartum addi-  
disset, nempe Typographiam  
absque erratis.

F I N I S.



Lf 326  
S

ULB Halle  
008 863 13X

3



Von

Ver



x-rite

colorchecker CLASSIC



ISAACI SCHOOCKII  
Philos. Pract. Prof. Publ. Ordin.

I D E A  
P O L I T I C Æ,  
SIVE  
C O M P E N D I O S A I N-  
S T I T U T I O.

Adiectum est  
APPENDICIS LOCO  
S P E C U L U M P O L I T I C U M,  
In quo exhibentur  
N O B I L I S S I M Æ E T S E L E C T I S S I M Æ  
Quæstiones breviter tractatae.

Socrat. apud Xenoph. & Plut. in  
Cat. Maj.

Generosum & omni favore dignum est  
ingenium, cui cordi sunt Disciplinæ  
Politicae. Virtute enim Politicæ prä-  
stantiorem nullam homo assequi-  
tur.

Francofurti ad Oderam.

Literis ANDRÆ BECMANNI,  
ANNO MDCLXXXII.